

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

**SCHEMA DOCUMENTI PONTIFICII
QUO DISCIPLINA CANONICA
DE SACRAMENTIS RECOGNOSCITUR**

(*Reservatum*)



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXV.

NÔTIFICATIÓ

Ut iam Patribus Synodi Episcoporum perdurante ultima Congregatione Generali patefeci, haec Pontifícia Commissio, per suos Coetus studiorum, maxima ex parte perfecit studium ut, iuxta Principia ab ipsa Synodo Episcoporum a. 1967 probata (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, pp. 67 ss.), novi Codicis Iuris Canonici schemata appararentur.

Prosequendo igitur consultationem circa parata schemata, mittitur ad Episcopos, per Conferentias Episcopales, ad aliaque Organa consultationis (Dicasteria Curiae Romanae, Unionem Superiorum Generalium et Universitates studiorum ecclesiasticorum), schema documenti pontificii, quo universa disciplina canonica de Sacramentis recognoscitur iuxta Decreta et spiritum Concilii Oecumenici Vaticani II: quo igitur cavetur ut, firma veneranda doctrina de Ecclesiae Sacramentis, normae canonicae ad ius sacramentale spectantes novis necessitatibus pastoralibus atque adjunctis prudenter accommodentur.


Quae omnia tum in expositione motivorum quae schemati apparando praefuerunt, tum in ipsa parte expositiva documenti perspicue prostant.

Consultatio fit iuxta normas a Praeside uniuscuiusque Organi consultivi statutas.

Romae, die 2 februarii 1975.



The image shows a handwritten signature in black ink. The signature consists of stylized, flowing letters that appear to read "Card. Giacomo Pignedoli". Below the main name, there is a smaller, less distinct signature that might be "Praecepit".



PRAENOTANDA

Maximi momenti est legislatio Ecclesiae de Sacramentis, quae ut, sine mora ulteriore, recognita proponatur in votis est multorum Pastorum.

In recognitione canonum Codicis de variis sacramentis, intentum ante omnia fuit ut nova legislatio principia applicaret quae Concilio Vaticano II admissa sunt, quorumque non pauca iam Apostolicae Sedis documentis pressius sunt definita. Ulterius propositum fuit ut legislatio de sacramentis pastoralibus necessitatibus adiunctisque hodierni temporis aptaretur.

Theologicae definitiones atque considerationes plerumque in canonibus recognitis desunt, cum Codicis canonum non sit doctrinam exponere, sed disciplinam ecclesiasticam referre. Doctrina theologica, licet fundamentum sit legislationis canonicae, in ipsa hac legislatione preeberi non debet, nisi quatenus opportunum videatur ut significatio normarum aptius intellegatur earumve momentum peculiari modo sublineetur.

Ad simpliciorem quidem formam certae praesertim partes disciplinae de sacramentis reductae sunt. Legislatio Codicis I. C. de sacramentis complectitur 412 canones, dum disciplina in scheme proposito 361 canonibus constat. Requiritur autem ut de sacramentis talis legislatio Ecclesiis particularibus communis de iisdem preebeat normas fundamentales, cum sacramenta eadem sint pro universa Ecclesia atque ad vinculum communionis inter cunctos christifideles stabilendum firmandumque magnopere conferant. Attamen, ubi id opportunum visum est, maior determinatio principiorum huius legislationis committitur Episcoporum Conferentiae singularium regionum ecclesiasticarum, aut nonnumquam Episcopo dioecesano vel Ordinario.

Schema propositum ordinem sequitur Codicis I. C., scilicet praemittuntur aliqui canones generales de sacramentis in genere, et deinde sub septem titulis disciplina proponitur recognita de Baptismo, de Confirmatione, de Sanctissima Eucharistia, de Paenitentia, de Unctione infirmorum, de Ordine necnon de Matrimonio.

Praeter mutationes quae in ipsa disciplina canonica de iure sacramentali proponuntur, quandoque mentio fit in scheme de materiis respicientibus ius recognitum aliarum partium Codicis I. C. Itaque per notas in calce positas explanationes aliquae prout opportunum videtur traduntur.

Hisce in praenotandis praecipuae tantum legislationis Codicis I. C. mutationes indicantur, traditis etiam ubi opportunum videatur rationibus, ut Episcoporum Conferentiae aliique quorum iudicio hi canones recogniti subiiciuntur sententiam suam aptius efformare valeant.

CANONES GENERALES

Plerumque praescripta canonum Codicis I. C. de sacramentis in genere quoad substantiam servantur.

Attamen normae can. 73-, § 2 Codicis I. C., vi cuius « vetitum est Sacraenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus ... » substituuntur praescripta spiritui Concilii Vaticani II accomodata, quaeque praeципue innituntur tum norma ab eodem Concilio in Decreto *Orientalium Ecclesiarum*, n. 27 data tum iis quae propositae sunt regulis a Secretariatu ad christianorum unitatem fovendam in *Directorio de re oecumenica*, nn. 42-47 et 55, necnon in *Instructione de peculiaribus casibus admittendi alios christianos ad Communionem Eucharisticam in Ecclesia catholica*, d. 1 iunii 1972, nn. 4-5.

Praeterea, norma can. 734, § 2, de oleo non benedicto adiiciendo mox deficienti oleo benedicto, deletur, cum secundum can. recognitum 188, § 2, 2º, oleum in unctione infirmorum adhibendum, in casu necessitatis benedicere possit quilibet presbyter, ut ceterum statuitur in Praenotandis *Ordinis unctionis infirmorum*, n. 21.

Titulus I

DE BAPTISMO

De baptismo item servantur, quoad substantiam saltem, pleraque Codicis I. C. normae.

De baptismi ministro tamen mutatae proponuntur normae, ratione habita doctrina Concilii Vaticani II de diaconorum muneribus (cfr. Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 29) et de auxilio quod praebere possunt catechistae (cfr. Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 17), ratione habita etiam praescriptorum quae edita sunt Litteris Apostolicis Motu Proprio datis *Sacrum Diaconatum Ordinem*, d. 18 iunii 1967, n. 22, necnon novi *Ordinis baptismi*.

De baptismi subiecto tria praesertim notari debent. Imprimis supprimuntur diversae normae can. 746 Codicis I. C., quae quidem disciplinae iuridicae non congruunt et casuistica sapient, et norma proponitur generalis, vi cuius « fetus abortivi, si vivant, quantum id fieri possit baptizentur ».

Praeterea norma proponitur quae differt a praescripto can. 750, § 1 Codicis I. C. Iuxta normam propositam, infantes etiam qui in vitae discriminé versantur et morituri praevidentur, licite non baptizantur, si ambo parentes aut ei qui eorum locum tenent omnes expresse sint contrarii. Ratio huius mutatae normae propositae est quia actus fidei ipsa sua natura voluntarius est et requirit ut homo rationabile liberumque Deo praestet fidei obsequium (cfr. Conc. Vat. II, Decl. *Dignitatis humanae*, n. 10), et quia talem actum voluntarium ponere potest aut ipse baptizandus, si est adultus, aut eiusdem loco eius parentes, qui nempe

lege naturali eundem, si ipse non iam agere valeat, repreäsentant, eiusdem officia atque iura exercentes.

Tandem in can. 19 schematis normae proponuntur ad casus pertinentes in quibus dubium aliquod moveri possit de baptismo collato aut eius valida collatione, normae scilicet congruae principiis quae habentur in *Directorio* quod edidit Secretariatus ad unitatem christianorum fovendam.

De patrinis in baptismo, ratio habetur normarum quae *Directorio* quod edidit Secretariatus ad unitatem christianorum fovendam, ad munus quod attinet patrini a fratribus seiunctis suscipiendum. Praeterea admittitur norma, vi cuius, deficiente post baptismum collatum patrino, alias infanti dari potest patrinus, cuius nomen in baptizatorum libro inserendum est. Tandem notetur de cognitione spirituali, quam, ad normam Codicis I. C., cum baptizato contrahunt baptizans et patrinus, non fieri mentionem in schemate, quia nullum talis cognatio deinceps habebit effectum iuridicum.

Alia quaedam habentur etiam de tempore et loco baptismi conferendi mutata praescripta, *Ordini baptismi* novo consentanea. Ceterum fusiora de his aliisque quaestionibus possunt legi in commentariis *Communicationes*, 3, 1971, pp. 197-202.

Titulus II

DE CONFIRMATIONE

De ministro confirmationis affirmatur Episcopum esse huius sacramenti ministerum originarium (cfr. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 26). Etiam vero hoc sacramentum valide confert presbyter cui haec facultas vi iuris communis aut peculiaris concessionis a competenti auctoritate factae competit. In can. 42 deinde statuitur quinam presbyteri ipso iure hac facultate donantur, atque latiores proponuntur facultates quoad eos qui in periculo mortis versantur. In can. 43, § 1, proponitur ut ipse Episcopus dioecesanus certo presbytero aut certis presbyteris a se designatis eandem facultatem concedere valeat; insimul autem affirmatur eundem Episcopum, quantum id fieri possit, confirmationem administrare debere per se vel per alium Episcopum. Aliae explanationes inveniri possunt in *Communicationes*, 3, 1971, pp. 203-204.

De confirmationis subiecto deinde proponuntur normae. Ad aetatem quod attinet requisitam ad recipiendum hoc sacramentum, derelinquitur norma can. 788 Codicis I. C. et proponitur norma generalis, vi cuius haec aetas ea est quae aut consuetudine loci aut decreto Episcoporum Conferentiae determinatur, nisi adsit periculum mortis aut alia gravis causa aliud suadeat. Nova est in iure norma can. 50, praescripto autem Concilii Vaticanii II consentanea (cfr. Const. *Sacrosanctum Concilium* n. 71), vi cuius, ut sacramenti confirmationis intima cum tota initiatione christiana conexio eluceat, promissiones baptismi renovent confirmationem recepturi.

Tandem *de patrinis* servantur plerumque quoad substantiam normae Codicis. Id vero notetur quod can. 57, § 2 declarat expedire ut tanquam patrinus assumatur qui idem munus in baptismo suscepit. Tandem de cognitione spirituali, quae secundum Codicem I. C., can. 797, oritur ex valida confirmatione, mentio non fit in schemate, cum talis cognatio nullum habeat effectum iuridicum.

Titulus III DE SÁNCISSIONE EUCHARISTIA

Tria Capita in hoc titulo habentur, in quibus normae praebentur de Eucharistica celebratione (Cap. I), de Sanctissima Eucharistia asservanda et veneranda (Cap. II) et de oblata ad Missae celebrationem stipe (Cap. III). Licet aliqui aestimaverint de hac ultima quaestione normas esse tradendas sub titulo de bonis ecclesiasticis, magis convenire visum est ut sub titulo de Sanctissima Eucharistia normae ponantur, propter nexus specialem quem cum celebratione Missae habent quaestiones quae in hoc Capite ordinantur.

Caput I *De Eucharistica celebratione*

Plane hic mutatur ordo dicendorum qui in Codice I. C. servatum est. In Codice I. C. in Capitibus separatis agitur de sacrosancto Missae Sacrificio et de sanctissimo Eucharistiae sacramento. Cum vero sanctissima Eucharistia, insimul sit Sacrificium et Sacramentum, in schemate proposito de iisdem insimul agitur sub eodem titulo, ita ut normae propositae in iisdem Articulis agant tum de celebratione Sacrificii Eucharisticí tum de communione, quae quidem eiusdem est pars.

Imprimis, ad modum Prooemii, habetur canon de natura et eminentia Eucharistiae celebrationis.

In Art. 1, *de ministro* agitur tum Eucharistici Sacrificii tum Sacrae communionis. Determinantur requisita ad validam Sacrificii Eucharistici celebrationem atque ad huius Sacrificii licitam celebrationem et concelebrationem. Statuitur ipso iure concedi sacerdotibus ut, si datur sacerdotum penuria, iusta de causa bis in die, atque necessitate pastorali id postulante etiam ter in die celebrent. Canone 68 statuitur non licete sacerdotibus catholicis ut una cum ministris Ecclesiarum communitatumve ecclesialium plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentium concelebrent.

Ad ministrum Sacrae communionis quod attinet, normae traduntur innixae Instructione S. Congr. de Disciplina Sacramentorum, *De communione sacramentali quibusdam in adjunctis faciliore reddenda*, d. 29 Ianuarii 1973, n. 1.

In Art. 2, *de subiecto* Sanctissimae Eucharistiae, notetur norma generalis can. 77, cuius ratione christifidelis qui Sanctissimam Eucharistiam receperit, non potest iterum eadem die suscipere extra Eucharisticam celebrationem; potest vero

eam iterum recipere in hac celebratione, quae cum aliqua sollemnitate sit peracta. Notetur etiam hoc loco dari praeceptum circa obligationem qua tenentur christifideles Sacrificium Eucharisticum participandi singulis diebus dominicis et festis de praecēpto. Hoc praeceptum, quod in Codice I. C. enuntiatur sub titulo « de locis et temporibus sacris », scilicet in can. 1248, ad materiam pertinet quae hic tractatur.

In Art. 3, *de ritibus et caeremoniis Eucharisticae celebrationis*, servantur plerumque quoad substantiam praecripta Codicis I. C., sed novae proponuntur normae in cann. 93 et 94.

De his omnibus atque de tempore et loco celebrationis Eucharisticae fusiora legi possunt in *Communicationes*, 4, 1972, pp. 51-56.

Caput II

De Sanctissima Eucharistia asservanda et veneranda

Cum expedit ut una simul tradantur normae quae ad Sanctissimam Eucharistiam pertinent, sub hoc Capite II proponuntur normae recognitae canonum qui in Codice I. C. habentur a can. 1265 ad 1275, sub titulo « de custodia et cultu Sanctissimae Eucharistiae », necnon a can. 1290 ad 1295, in quibus de sacris processionibus agitur.

Caput III

De oblata ad Missae celebrationem stipe

In textu recognito non amplius, ut in Codice I. C. (cann. 824-844) agitur de Missarum eleemosynis seu stipendiis, sed *de oblata a fidelibus stipe*. Ratio est, quia vox *stipendium* a propria natura huius oblationis aliena videtur, cum intelligi possit oblatio quae in remunerationem seu mercedem pro celebratione peragerida facta est. Vox, e contra, *stips*, proprie significat oblationem factam aut in opus aliquod publice faciendum, aut in Dei honorem, aut ad pauperes alendos, et ideo magis congruit cum natura oblationis occasione celebrationis Eucharisticae factae.

Historice si res consideratur, usus dandi stipem ortus videtur ex Missae offerentio, in quo christifideles celebrationem Eucharisticam participantates, necessaria ad celebrationem, imprimis panem et vinum, aliaque etiam dona naturalia, obtulerunt. Hac ratione stips oblata cum ipsa Eucharistica celebratione colligata erat. Remansit quidem ut a plerisque scriptoribus eadem stips habeatur oblatio quam, occasione sacrificii Eucharistici ad sui intentionem celebrati et applicati christifideles faciunt, ut ipsi pro parte sua conferant tum ad Ecclesiae ministrorum sustentationi providendum tum ad Ecclesiae variis necessitatibus prospiciendum. De historica stipsis oblatae origine, uti patet, mentio non fit in schemate. Novus autem proponitur canon, in quo affirmatur christifideles stipem ad Missae celebrationem offerentes ad bonum conferre Ecclesiae, cuius scilicet curam in cultu ordinando, in officiis adimplendis operibusque sustentandis, ita etiam participant. Additur deinde auctoritati ecclesiasticae, praesertim Episcopo dioecesano, cuius est curare etiam ut necessitatibus Ecclesiae ministrorumque sustentationi provideatur, com-

petere definitionem rationum quibus stipes oblatae in bonum Ecclesiae adhibenda sint. Haec quidem auctoritas, quae certo offerentium voluntatis rationem habere debet, potest determinare fines in quos stipes cedi debent, et statuere potest ut sacerdos, cui stips offertur, ex integro aut ex parte eandem retineat exceptis iis in casibus quae lege definiuntur.

Sane, viginti de hac quaestione, uti in Codice I. C., etiam in schemate, habentur canones, sed requiri videntur ut completa de hac quaestione disciplina praebeatur (cfr. *Communicationes*, 4, 1972, pp. 57-59).

Titulus IV

DE PAENITENTIA

Diversa sunt Capita ab iis quae in Codice I. C. habentur. In schemate enim proposito agitur de absolutione sacramentali (Cap. I), de Sacramenti Paenitentiae ministro (Cap. II), de Sacramenti Paenitentiae subiecto (Cap. III) atque de indulgentiis (Cap. IV). Caput Codicis I. C. de reservatione peccatorum (cann. 893-900) non amplius habetur, cum expedire visum sit ut non dentur peccata ratione sui reservata. Praeterea, quae in Codice I. C. habentur normae sub capite de loco ad confessiones excipiendas, ad simpliciorem formam redactae, in can. 157, sub Cap. de Sacramenti Paenitentiae ministro enuntiantur. Habetur autem in schemate, et quidem in Cap. I, legislatio de Absolutione sacramentali, quae hodie necessario proponenda est.

De Absolutione sacramentali, in Cap. I, canones qui proponuntur innituntur documento S. Congregationis pro Doctrina Fidei, quod inscribitur *Normae pastorales circa absolutionem sacramentalem generali modo impertiendam*, editum d. 16 junii 1972.

De ministro Sacramenti Paenitentiae affirmatur imprimis eum esse solum sacerdotem (can. 135) et ad validam peccatorum absolutionem requiri ut minister, praeterquam potestate per ordinationem sacram recepta, gaudeat *facultate* eandem in fideles quibus absolutionem impertitur *exercendi* (can. 136, § 1).

De hac facultate ad potestatem absolvendi exercendam diversa a Codicis I. C. praescripto (CIC, can. 873) proponitur norma, ea praesetrim ratione recepta ut accessus ad Sacramentum Paenitentiae christifidelibus facilior reddatur. Vi huius normae novae, *ipso iure* hac facultate ad confessiones excipiendas ubique erga omnes fideles gaudent tum omnes presbyteri qui vi officii sibi collati facultate gaudent ad confessiones excipiendas in suo territorio, tum presbyteri qui facultate ad confessiones excipiendas donati sunt commissione speciali Ordinari loci in quo domicilium, eoque deficiente quasi-domicilium, habent. Ut autem licite hac facultate utantur, servare debent normas, si quae sint, ab Ordinario loci editas (can. 137, § 2). Itaque, can. 137, § 2, ratione, sacerdos qui sive vi officii sive vi commissionis specialis Ordinarii loci in quo domicilium, eoque deficiente, quasi-

domicilium, habet, facultate gaudet ad confessiones excipiendas, eadem habet ubique terrarum. Sacerdos, contra, qui eadem facultate donatur ab alio Ordinario loci, scilicet in quo non habet domicilium, vel eo deficiente quasi-domicilium, eadem facultatem tantummodo habet in dioecesi huius Ordinarii. Similis etiam norma traditur pro sodalibus Institutorum vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum.¹

Ad revocationem quod attinet huius facultatis ad confessiones excipiendas, logice inde proponitur norma quae sequitur: revocata facultate ad confessiones excipiendas a loci Ordinario de quo in can. 137, § 2, scilicet ab Ordinario sui domicilii, eoque deficiente quasi-domicilio, presbyter hanc facultatem ubique amittit; revocata autem eadem facultate ab alio loci Ordinario, eadem amittit in territorio revocationis tantum (can. 144, § 2). Iterum similis norma proponitur quoad sodales Institutorum vitae consacratae (can. 144, § 1).

In can. 146 enuntiatur *de facultate ad confessiones excipiendas*, norma quae in Codice I. C. habetur de iurisdictione (can. 209), sed magis determinatur: in errore communi *de facto aut de iure*, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, supplet Ecclesia facultatem ad confessiones excipiendas requisitam.

Ad locum quod attinet in quo confessiones excipiendae sunt, notetur tantummodo dari principium generale: locus proprius est ecclesia aut oratorium. Praeque vero determinationes particulares de confessionis sede, de quibus in Codice I. C., cann. 909-910, Episcoporum Conferentiae committuntur statuendae.

De Indulgentiis normae proponuntur quae innituntur documento S. Paenitentiae Apostolicae, quod inscribitur *Enchiridion indulgentiarum, Normae et concessiones*. Haud facile erat normas perstringere, si de hac materia, uti visum est, in hac parte tractandum erat.

Titulus V

DE UNCTIONE INFIRMORUM

De ministro huius sacramenti notetur tantum vi ipsius iuris officio et iure unctionem infirmorum ministrandi gaudere sacerdotes in can. 182, § 1 citatos.

De subiecto huius sacramenti normae quae in can. 183, §§ 1 et 2 traduntur congruae sunt responsis datis a S. Congregatione pro Doctrina Fidei.

¹ In iure recognito de religiosis per verba Instituta perfectionis vel melius *Instituta vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum* (vel brevius: *Instituta vitae consecratae*) designantur omnia Instituta (Ordines et Congregations religiosae, Societates vitae communis atque Instituta Saecularia) in quibus sodales per vota aut alia sacra ligamina se obligant ad consilia evangelica profitenda: cfr. *Communicationes*, 2, 1970, pp. 173-174; 5, 1973, pp. 65-67; 6, 1974, p. 74.

Titulus VI
DE ORDINE

In quinque Capitibus, normae proponuntur de Sacrae ordinationis ministro (Cap. I), de eiusdem subiecto (Cap. II), de iis quae Sacrae ordinationi praeire debent (Cap. III), de tempore et loco Sacrae ordinationis (Cap. IV) atque de annotatione ac testimonio peractae ordinationis (Cap. V).

Normae propositae respiciunt tres Ordines, scilicet episcopatum, presbyteratum et diaconatum. De ministeriis lectoris et acolythi, quea quidem non sunt ordines, sub hoc titulo non dari debent normae, nisi ut affirmetur candidatos ad diaconatum, sive permanentem sive transeuntem, antequam ad diaconatum admittantur, eadem recipere et per congruum tempus exercere debere atque ut intervallum definiatur quod inter acolythatum et diaconatus collationem intercedere debet (can. 215).

In praescriptis canonum schematis, praesertim quidem in propositis canonibus *de sacrae ordinationis subiecto*, ratio habetur, uti patet, normarum quas de diaconatu permanenti edidit Paulus Pp. VI, in Litteris Apostolicis Motu Proprio datis *Sacrum diaconatus ordinem*, d. 18 iunii 1967. Ratio item habetur requisitorum ad ordinationem quae definiuntur in Litteris Apostolicis Motu Proprio datis *Ad pascendum*, d. 15 augusti 1972 (cann. 214, 215, 216 et 217). Ad aetatem ad collationem ordinum requisitam quod attinet, regulae traduntur in can. 219. Ut is qui ad presbyteratum destinatur diaconalem ordinationem recipere possit, requiritur vigesimum tertium aetatis annum, ut ad presbyteratum admittatur vigesimum quartum annum expleverit. Ut candidatus ad diaconatum permanentem ad diaconatum admittatur, requiritur aetas determinata in Litteris Apostolicis *Sacrum diaconatus ordinem*. Statuitur autem integrum esse Episcoporum Conferentiae ut normam statuat qua provectior ad presbyteratum et ad diaconatum permanentem requiritur aetas (can. 219, § 3).

Cum in nova legislatione de Sacra Hierarchia et de iure associativo studia peragantur de societatibus ecclesiasticorum, quae, quin vitam consecratam ducant per professionem consiliorum evangelicorum, ratione tamen finis definiti et prevalentis opus peculiare apostolicum v. gr. missionale exerceant (cfr. Const. Ap. *Regimini Ecclesiae universae*, n. 86), plurium petitum accipiendo, in can. 200 sermo fit de Societatibus clericalibus iuris pontificii, quae facultate sibi clericos adscribendi gaudeant. Ceterum fusiora legi possunt in *Communicationes*, 2, 1970, p. 174; 3, 1971, p. 189.

De irregularitatibus aliisque ad ordines *impedimentis*, maioris claritatis causa, in schemate proposito separantur normae quae ordines recipiendos respiciunt (cann. 223-226) et normae quae ad ordines iam receptos exercendos pertinent (can. 227). Quae normae ceterum simpliciores in schemate sunt, cum supprimantur quae hodie obsoletae dici debent. Attendatur etiam praescriptum can. 231, vi cuius non servatur norma can. 990 Codicis I. C., secundum quam is qui irregu-

laris est ad ordines exercendos, in casibus occultis urgentioribus dispensationem obtinere potest a confessario, sed statuitur simpliciter eum, certis sub conditionibus, ordinem exercere posse, firmo quidem manente onere recursus ad auctoritatem competentem, de qua in can. 230 agitur.

Accommodatae tandem supradictis praescriptis de requisitis in subiecto ordinationis, proponuntur normae de iis quae sacrae ordinationi praevire debent, aptataeque novis adiunctis normae quae de tempore et loco sacrae ordinationis agunt.

Titulus VII.
DE MATRIMONIO

Loco recensionis finium matrimonii, praebetur matrimonii in facto esse descriptio, de ratione scilicet qua se habent inter se relatio personalis coniugum et ordinatio matrimonii ad prolem. Immutata autem manet norma de matrimonii proprietatibus essentialibus. Fusiora de hac re legi possunt in *Communicationes*, 3, 1971, pp. 70-71.

Remittitur iuri particulari ut, si casus ferat, normae dentur de sponsalibus, attentis moribus populorum. Item conservantur tantum aliquae normae in iure communi circa ea quae matrimonii celebrationi praemitti debent, commissione facta Conferentiis Episcoporum ut, attentis omnibus adiunctis locorum, peculiares normas edant circa investigationes facendas de examine sponsorum, publicationibus matrimonialibus aliisve mediis opportunis ut constet nihil matrimonii validae aut licitae celebrationi obstare.

Circa *impedimenta in genere* nonnullae inductae sunt innovationes, quae substantiales dici possunt. Datur enim Conferentiis Episcoporum facultas statuendi impedimenta particularia sive prohibentia sive dirimentia. Ad subiectum impedimentorum quod attinet, proponitur ut illi qui actu formalis aut notorie ab Ecclesia defecerunt habeantur in hac materia uti non-catholici baptizati ita ut impedimentis iuris mere ecclesiastici non teneantur. Simplicior proponitur disciplina de dispensatione impedimentorum sive in circumstantiis ordinariis, sive in periculo mortis sive cum omnia sint parata ad nuptias. Impedimenta gradus minoris suppressuntur.

De *impedimentis in specie* haec praesertim notentur. Votum *publicum* temporaneum castitatis, non autem privatum, impedimentum prohibens constituit. Impedimentum cognationis legalis, prout in lege civili habetur, servatum est, cum ex studio comparato constiterit in multis codicibus civilibus hoc impedimentum extare. Ad impedimenta mixtae religionis et disparitatis cultus quod attinet recipitur disciplina per M. P. *Matrimonia mixta* inducta. Impedimentum criminis restringitur ad casum coniugicidii intuitu matrimonii. De casu autem adulterii cum fide sibi mutuo data de matrimonio ineundo ratio peculiaris habetur in capite de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent (can. 256), cum vetantur parochi ne matrimonio assistant, nisi, re ad loci Ordinarii delata, licentiam assi-

stendi obtinuerint. Impedimentum raptus induit formam valde mutatam; prout enim in iure vigenti habetur, conditionibus modernis iam non aptum esse satis patet. Opportunum visum fuit in canone de potentia non tantum edicere matrimonium, si impedimentum potentiae dubium sit, non esse impediendum, sed etiam expresse statuere id, stante dubio, nullum non declarandum esse. Impedimenta gradus minoris suppressa sunt; itemque multiplicatio impedimentorum consanguinitatis et affinitatis suppressa est.

Ad *consensum matrimoniale* quod attinet proponitur nova descriptio obiecti consensus. Etenim consensus proponitur ut actus voluntatis, quo vir et mulier foedere inter se constituant consortium vitae coniugalis, perpetuum et exclusivum, indole sua naturali ad prolem generandam et educandam ordinatum. Unde sequitur, inter elementa essentialia obiecti consensus, quorum exclusio consensum reddit invalidum, recensendum esse ius ad vitae communionem. Ut peritis ultro patebit, consulto dictum est *ius ad vitae communionem*, ita ut tunc tantum consensus sit invalidus, si in ipso contractu matrimoniali vitae communio, quatenus ad essentiam coniugii pertinet, excludatur, seu «matrimonium» ita intendatur, ut comparti ius illud non tradatur. Porro communio vitae, coniugii propria, non confundenda est cum cohabitatione. Deinde recensentur incapacitates ad contrahendum matrimonium ex capite consensus. Etsi enim principia de incapacitate consensum matrimoniale validum eliciendi implicite in iure vigenti continentur, visum fuit expedire eadem distinctius et clarius in novo iure exprimenda esse. Quare distinguuntur: incapacitas totalis eliciendi talem consensum ob mentis morbum vel perturbationem qua usus rationis impeditur; incapacitas proveniens ex gravi defectu discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia mutuo tradenda et acceptanda; incapacitas assumendi obligationes essentiales matrimonii proveniens ex gravi anomalia psycho-sexuali. Dum in duobus prioribus casibus ipse actus subiectivus sane psychologicus consensus defectu substantiali laborat, in ultimo casu a parte contrahentis actus ille forte integer elici potest, ipse contrahens tamen incapax est obiectum consensus implendi, inde incapax quoque assumptam obligationem illud implendi; quare tertius quoque casus recensendus videbatur inter defectus consensus, potius quam subsumendus sub nomine potentiae, non quidem physicae, sed moralis, accidente ratione confusionis cum potentia psychica vitandae.

Proponitur ut error dolosus circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad consortium vitae graviter perturbandum, caput nullitatis constitutus; conditio ponitur tamen ut dolus ad obtinendum consensum patratus sit. Tandem cum incongruum sit matrimonium inire cum condicione de futuro, proponitur principium matrimonium sub condicione de futuro valide contrahi non posse.

Nonnullae aliae explanationes circa consensum matrimoniale inveniri possunt in *Communicationes*, 3, 1971, pp. 75-78; item circa potentiam in *Communicationes*, 6, 1974, pp. 177-188.

Ad *formam canonica* celebrationis matrimonii quod spectat, aestimarunt aliqui eam faciliorem esse reddendam. Ideoque in schemate proponitur ut concedi

possint delegationes *generales* sacerdotibus et diaconis ad assistendum matrimonio. Ad vitandum ne matrimonia nulla sint, ob defectum facultatis in sacerdote vel diacono assistente, proponitur norma (can. 315) dupli modo redacta et quaeritur quaeam ex duabus formulis magis conveniat.

In capite *de dissolutione vinculi* mutationes non paucae proponuntur sive ad melius exprimendam doctrinam sive ad aptiores normas inducendas, uti ex ipso textu canonum clare patet. Institutum separationis coniugum notabiliter perficitur et nota quaedam humanitatis in normis habetur. Cum in hac materia peculiarem vim habeant mores populorum et locorum circumstantiae, Conferentiis Episcopilibus committitur ut statuant causas separationis, praeter eas quae in iure communi proponuntur.

In capite *de matrimonii convalidatione* propositae non sunt mutationes substantiales. In articulo de convalidatione simplici clariores praebentur textus et nova inducitur norma, e M. P. *Matrimonia mixta* deprompta, de facultate dispensandi a forma canonica in matrimoniis mixtis. In articulo de sanatione in radice mutationes ordinem materiae atque formam praesertim spectant.

SCHEMA DOCUMENTI PONTIFICII
QUO DISCIPLINA CANONICA
DE SACRAMENTIS RECOGNOSCITUR

1. SACRAMENTORUM CELEBRATIO potissima pars existit catholicae Liturgiae, quae, ut Concilium Vaticanum II declarat, merito « culmen est ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat ».¹ Quod sane eodem sensu atque sententia veneranda Tridentina Synodus docuit affirmans se agere voluisse « de sanctissimis Ecclesiae sacramentis, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepita augetur, vel amissa reparatur ».² Nihil itaque mirandum rectam fidem circa sacramenta semper, etsi non unicum, tamen inter praecipua testimonia quibus efficitur et ostenditur ecclesiastica communio, annumeratam fuisse³ atque complures quaestiones quae unitati omnium christianorum in una Christi Ecclesia hucusque obsistunt vel ad doctrinam sacramentorum directe pertinere vel eidem arcte coniecti.⁴

2. [Verbum Dei et Sacraenta]. Cum vero sacramentalis actio et manifestatio fidei sit gratiae salutisque signum et causa, omnino consentaneum est ut et fide praeparetur recipientis, et ad vitam tendat profundius in Christo ducendam.⁵ Profecto sicut a catholica doctrina alienum est sacramenta exteriores quasdam actiones, a Christi mysterio quasi seclusas, peragere, ita et absonum est ut sic accipientur quin ipsa christifidelis vita fiat paschali transitui concors, nunc in umbris et imperfecte perficiendo donec ad plenam perveniat veritatem. « Fides

¹ Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 10.

² Conc. Trident., Sess. VII, Decr. *De Sacramentis*, Prooem.; DENZ-SCHÖN. 1600 (843a).

³ Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium*, n. 15; Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, nn. 25-27; Decr. *Unitatis Redintegratio*, nn. 15 et 22.

⁴ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Unitatis Redintegratio*, n. 22.

⁵ Cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 9.

autem — ait Apostolus — ex auditu »⁶ ideoque verbi Dei annuntiatio ad ipsam sacramentalem pertinet oeconomiam: quod enim aure auditur peculiari vi atque efficacia sacramentis perficitur.⁷ Neque sufficit, id Sacris Litteris aperte testantibus, fidem accipere, sed omnino oportet ut illa, Dei verbi praeconio ac Spiritus Sancti gratia accepta, fidei sacramentis roboretur,⁸ nam evangelizatio revera ad id ordinatur « ut omnes per fidem et Baptismum filii Dei facti, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent, Sacrificium participant et coenam dominicam manducent ».⁹ Ministri ergo Ecclesiae pro uniuscuiusque sibi commisso munere ac legitima potestate, praesertim vero sacerdotes et diaconi, officium suum ita praestent « ut fideles ea sacramenta impensissime frequentent quae ad vitam christianam alendam sunt instituta »,¹⁰ grave Concilii Vaticani II verbum attendantes: « Laici, sicut omnes christifideles, ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et sacramentorum adiumenta a sacris Pastoribus abundanter accipiendi ».¹¹ Ea quippe non suo quodam arbitrio, annuntiant et celebrant, sed humilis servitii atque ministerii animo, illud pree oculis semper habentes quod « indoles sacra et organice exstructa communitatis sacerdotalis — quae est Ecclesia — et per sacramenta et per virtutes ad actum deducitur ».¹²

3. [Necessitas iuris de sacramentis]. Sacra autem Liturgia sacramentorum utpote actio Christi et Ecclesiae in visibili communione celebranda,¹³ numquam actio privata est neque privatis criteriis persolvenda.¹⁴ Et quia actio communis est et ecclesialis, fieri nequit quin ordinata determinatione exerceatur. Sunt quidem in sacramentis celebrandis elementa quaedam a Christo Domino instituta quae ab Ecclesia nequeunt mutari quippe quae eorum substantiam constituant;¹⁵ alia vero com-

⁶ Rm. 10, 17.

⁷ Cfr. Synod. Ep., a. 1971, *De sacerdotio ministeriali*, Pars altera, I, 1, b et d.

⁸ Cfr. Mt. 28, 18 ss.; Mc. 16, 15 ss.; Io. 3, 5; 6, 48 ss.; 20, 21 ss.; Act. 2, 41; 8, 13-17; 35-38; 9, 17 ss.; 10, 47 ss.; 16, 33; 19, 1 ss.; etc.

⁹ Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 10.

¹⁰ Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 59.

¹¹ Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium*, n. 37.

¹² *Ibid.*, n. 11.

¹³ Cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 7.

¹⁴ Cfr. *ibid.*, n. 26.

¹⁵ Cfr. Conc. Trident., Sess. XIV, *Doctrina de sacramento extremae unctionis*, cap. 3;

missa sunt Ecclesiae curae ac potestati ita ut ipsa « in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire iudicaret ».¹⁶

4. [Origo historica et ratio interna iuris sacramentorum]. Sacrorum Novi Testamenti librorum testimonio iam elucet tempore adhuc apostolico nonnullas circa mysteriorum celebrationem ordinationes editas fuisse,¹⁷ quas deinde temporum decursu Ecclesiae Pastores amplificarunt,¹⁸ sicque ius sacramentale pedetemptim constitutum est, cuius scopus alias esse nequit nisi praestantissima sanctificationis instrumenta ita ordinare ut eorum fructus uberior percipientur ad totius Corporis Christi aedificationem in Dei laudem hominumque salutem. Munus ergo sacramentalis iuris sicut et cuiusvis ecclesiasticae ordinationis, manifestatio quaedam est ipsius Ecclesiae mysterii siquidem « societas organis hierarchicis instructa et Mysticum Christi Corpus, coetus adspectabilis et communitas spiritualis, Ecclesia terrestris et Ecclesia coelestibus bonis ditata, non ut duae res considerandae sunt, sed unam realitatem complexam efformant, quae humano et divino coalescit elemento ».¹⁹ Illa vero Ecclesiae iuridica ordinatio quae a legittima auctoritate promulgatur, iure divino innititur, illud explicat et applicat, eique semper inservire debet, unde clare apparet nativa iuris canonici pastoralis indoles. Ideoque si mutatis conditionibus, aliquae normae iuris ecclesiastici minus cum propria finalitate cohaerere videantur, tunc ius et officium est Ecclesiae auctoritatis eas novis rationibus accommodare, ut Christi discipulorum bono quam maxime prospiciatur.²⁰

DENZ-SCHÖN. 1699 (910); Sess. XXI, *Doctrina de communione sub utraque specie et parvulorum*, cap. 2; DENZ-SCHÖN. 1728 (931). Cfr. etiam PII PP. XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis*, d. 30 nov. 1947, n. 1; DENZ-SCHÖN. 3857 (2301).

¹⁶ Conc. Trident., Sess. XXI, *Doctrina de communione sub utraque specie et parvulorum*, cap. 2; DENZ-SCHÖN. 1728 (931).

¹⁷ Cfr. ex. gr. 1 Cor. 11, 3-34; 1 Tim. 3, 1-15; 1, 5-9.

¹⁸ Cfr. ex. gr. *Didaché*, VII; IX; X; XIV; XV; S. CLEM. ROM., Ep. ad Cor., XL; XLI et XLIV; S. IGN. ANT., M., ad Magn. IX, 1; ad Philad. IV; ad Smyrn. VIII, 2; ad Polyc. Smyrn., M., ad Philad. V, 2; VI, 1; S. HYPPOL. ROM., M., *Traditio Apostolica*, passim.

¹⁹ Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium*, n. 8; cfr. Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 2.

²⁰ Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium*, n. 48; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 21; Decr. *Unitatis Redintegratio*, n. 6.

5. [*Praeparatio huius novae legislationis*]. Post Concilium Oecumenicum Vaticanum II expletum, Apostolica Sedes totis viribus adlaboravit et hucusque adlaborat ut huius Sanctae Synodi decisiones ad proxim deducantur. Apostolica itaque auctoritate plura documenta ad sacramentorum doctrinam disciplinamque pertinentia publici iuris facta sunt; Sacra vero Congregatio pro Cultu divino sedulo curavit ut novi Ordines pro sacramentis in Ecclesia latina celebrandis in lucem ederentur. Ad integrum autem Concilii mandatorum exsecutionem omnino opus erat ut canones in Prima parte Libri III Codicis Iuris Canonici contenti, necnon aliqui alii hanc materiam spectantes, accurate recognoscerentur.

CANONES GENERALES

Can. 1 (CIC 731, § 1). Sacraenta Novae Legis, a Christo Domino instituta et Ecclesiae concredita, praecipua sunt sanctificationis et salutis media, conferunt ad communionem ecclesiasticam inducendam aut firmandam atque regale Populi Dei sacerdotium constituunt et manifestant; quapropter in iis opportune riteque celebrandis summa veneratione debitaque diligentia uti debent tum sacri ministri tum ipsi fideles.¹

Can. 2 (CIC 731, § 2). § 1. Salvis huius canonis §§ 2, 3 et 4 necnon can. 10 § 2 et can. 319 §§ 2-3, ministri catholici sacramenta licite administrant solis christifidelibus catholicis, qui pariter eadem a solis ministris catholicis licite recipiunt.

§ 2. Quoties necessitas id postulet aut vera spiritualis utilitas id suadeat, licet christifidelibus catholicis quibus physice aut moraliter impossibile sit accedere ad ministrum catholicum, sacramenta Paenitentiae, Eucharistiae et Unctionis infirmorum recipere a ministris non catholicis, in quorum Ecclesia valida habentur praedicta sacramenta.

§ 3. Ministri catholici licite sacramenta Paenitentiae, Eucharistiae et Unctionis infirmorum administrant christianis orientalibus plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui sponte id petant et rite sint dispositi.

§ 4. Si adsit periculum mortis aut alia, de iudicio Episcoporum Conferentiae aut loci Ordinarii, urgeat gravis necessitas, ministri catholici licite eadem sacramenta administrant ceteris quoque christianis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui ad propriae communitatis ministrum accedere non valeant atque sponte id petant, dummodo tamen fidem quoad eadem sacramenta consentaneam fidei Ecclesiae catholicae manifestent et rite sint dispositi.²

¹ Cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 14, 26, 27, 28, 59.

² Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 27; Secretariatus ad Christianorum

§ 5. Ad cetera sacramenta numquam admitti valent qui non sunt per sacramentum baptismi Ecclesiae incorporati.

Can. 3 (CIC 732). § 1. Sacra menta Baptismi, Confirmationis et Ordinis, quippe quae characterem imprimant, iterati nequeunt.

§ 2. Si vero prudens dubium existat num revera aut num valide collata fuerint, censenda sunt non fuisse collata, ita ut conferri debeant, salvis praescriptis can. 19 § 2, necnon cann. 39 et 244.

Can. 4 (novus). Administratio sacramentorum, utpote actio Ecclesiae, ubi fieri possit, cum actuosa communitatis participatione celebretur.³

Can. 5 (CIC 733). § 1. In sacramentis ministrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caeremoniae quae in libris liturgicis a competenti auctoritate probatis praecipiuntur.⁴

§ 2. Minister sacramenta conferat secundum proprium ritum, salvis praescriptis cann. 43 § 2, 84, 87 § 2 et 88 § 2.

Can. 6 (CIC 734). § 1. In ministrandis sacramentis, in quibus sacra olea adhibenda sunt, minister utatur oleis ab Episcopo benedictis, salvis exceptionibus iure admissis; olea adhibeat recenter benedicta, nec veteribus utatur, nisi necessitas urgeat.

§ 2. Olea de quibus in § 1 sint ex olivis aut aliis ex plantis.

Can. 7 (CIC 735) § 1. Parochus olea sacra a proprio Episcopo impetrat eaque decenti custodia diligenter asservet.

§ 2. Cilibet sacerdoti licet oleum infirmorum secumferre, ut, in casu necessitatis, unctionem infirmorum ministrare valeat.

Can. 8 (CIC 736). Pro sacramentorum administratione minister nihil quavis de causa vel occasione, sive directe sive indirecte, petat, salvo praescripto can. 1507 § 1 (Codicis I.C.).

Unitatem Fovendam, *Directorium de re oecumenica*, nn. 42-47, 55; *Instructio de peculiaribus casibus admittendi alios christianos ad Communione Eucharisticam in Ecclesia catholica*, d. 1 iunii 1972, nn. 45.

³ Cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 26-27.

⁴ Cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 63.

TITULUS I DE BAPTISMO

Can. 9 (CIC 737). § 1. Baptismus, primum quidem omnium sacramentorum, quo homines indebili charactere Christo configurantur atque Ecclesiae incorporantur, valide confertur tantummodo per ablutionem aquae verae cum debita verborum forma.¹

§ 2. Baptismus ministratur sive forma sollemniore, scilicet omnibus servatis ritibus et caeremoniis quae in probatis ritualibus libris praecipiuntur, sive forma simpliciore.²

CAPUT I DE BAPTISMI MINISTRO

Can. 10 (CIC 738). § 1. Minister ordinarius baptismi est sacerdos aut diaconus, salvo quidem iure parochorum.³

§ 2. Absente aut impedito sacerdote et diacono, licite baptismum confert catechista, immo in casu necessitatis quilibet homo.⁴

Can. 11 (CIC 739). In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum sollemniore forma conferre, ne quidem sui loci incolis.

Can. 12 (CIC 744). Adulorum baptismus, ubi commode id fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si id expedire iudicaverit, ab ipso aut ab eius delegato sollemnius conferatur.

¹ Cfr. Conc. Flor., Decr. pro Armenis, *de Sacramentis*; DENZ.-SCHÖN. 696; Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 11, 40; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 5.

² Cfr. *Ordo Baptismi parvolorum*, Praenotanda, nn. 15-22.

³ In canone recognito de iuribus parochorum asseritur: « Functiones ab ipso parocco implendae, ab aliis autem nonnisi eo consentiente exercendae, praeter alias iure particulari determinatas, sunt sequentes: 1º administratio forma sollemniore baptismi ... ».

⁴ Cfr. *Ordo Baptismi parvolorum*, *De initiatione christiana*, nn. 11, 16, 17.

CAPUT II
DE BAPTISMI SUBIECTO

Can. 13 (CIC 745). Baptismi recipiendi capax est omnis et solus homo nondum baptizatus.

Can. 14 (CIC 747). Fetus abortivi, si vivant, quantum id fieri possit, baptizentur.

Can. 15 (CIC 749). Infans expositus aut inventus nisi, re diligenter investigata, de eius baptismio constet, baptizetur.

Can. 16 (CIC 750-751). § 1. Ut infans licite baptizetur, oportet:

- 1) spes habeatur fundata eum in religione catholica educatum iri;
- 2) parentes, saltem eorum unus, aut qui legitime eorundem locum tenent, consentiant.

§ 2. Infans, sive parentum catholicorum sive etiam non catholicorum, qui in eo versetur vitae discrimine ut prudenter praevideatur moriturus antequam usum rationis attingat, licite baptizatur, dummodo non sint expresse contrarii ambo parentes aut qui legitime eorundem locum tenent.

Can. 17 (CIC 752). § 1. Ut adultus baptizari possit, requiritur voluntatem suam baptismum recipiendi manifestet et sufficienter fidei veritatibus sit instructus.

§ 2. Adultus qui in periculo mortis versatur baptizari potest, si quam de praecipuis fidei veritatibus habeat cognitionem et quovis modo intentionem suam baptismum recipiendi manifestaverit.

Can. 18 (novus). § 1. In praeparando adulto qui baptismum recipere intendit, serventur peculiaria praescripta a competenti auctoritate edita.

§ 2. Adultus qui baptizatur, nisi gravis obstet ratio, statim post receptum baptismum confirmetur, atque, quatenus fieri possit, celebationem eucharisticam participet.⁵

Can. 19 (novus). § 1. Qui dubie baptizatus est, dubio quidem post seriam investigationem permanente, baptizetur.

⁵ Cfr. *Ordo initiationis christianaee adulorum*, n. 3.

§ 2. Qui in aliqua communitate ecclesiali non catholica baptizatus est, habeatur valide baptizatus et baptizari non potest, nisi, inspecta liturgica forma in baptismō collato adhibita, necnon attenta intentione ministri baptizantis, seria ratio de baptismi validitate dubitandi adsit.

§ 3. Quod si, in casibus de quibus in §§ 1 et 2, dubia remaneat baptismi collatio aut validitas, baptismus ne conferatur nisi postquam ipsi baptizando, si sit adultus, doctrina de baptismi sacramento exponatur, atque, quando ritus baptismi iteretur, eidem baptizando aut, si de infante agatur, eius parentibus rationes dubiae validitatis ritus iam celebrati declarentur.

CAPUT III DE BAPTISMI RITIBUS ET CAEREMONIIS

Can. 20 (CIC 756). § 1. Proles ritu parentum baptizetur.

§ 2. Si alter parentum ad ritum latinum pertineat, alter ad aliquem ritum orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud iure speciali cautum sit.

§ 3. Si unus tantum parentum sit catholicus, proles ritu catholicō baptizetur, secundum normas peculiares aut praescripta Episcoporum Conferentiae regionis.

Can. 21 (CIC 757). Extra casum necessitatis, baptismus ne conferatur nisi cum aqua ad hoc benedicta.⁶

Can. 22 (CIC 758). Baptismus conferri potest sive per infusionem sive per immersionem, iuxta Episcoporum Conferentiae regionis praescripta.⁷

Can. 23 (CIC 759). Infans extra ecclesiam baptizatus, congruo tempore ad ecclesiam deferatur ut in eadem praesentetur.⁸

Can. 24 (CIC 761). Curet parochus ut ei qui baptizatur non imponatur nomen a sensu christiano alienum.

⁶ Cfr. *Ordo baptismi parvolorum, De initiatione christiana*, n. 21.

⁷ Cfr. *ibidem*, n. 22.

⁸ Cfr. *ibidem*, n. 165 et ss.

CAPUT IV DE PATRINIS

Can. 25 (CIC 762). Ex vetustissimo Ecclesiae more, nemo baptizetur nisi suum habeat, quantum id fieri possit, patrimum.⁹

Can. 26 (CIC 764). § 1. Patrinus unus tantum, eiusdem vel diversi a baptizando sexus, vel etiam unus et una adhibeantur.

§ 2. Deficiente post baptismum collatum patrino, alius infanti dari potest patrinus, cuius nomen in baptizatorum libro inscribendum est.

Can. 27 (CIC 765). Ut quis patrini munere valide fungatur, oportet:

- 1) sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;
- 2) religionem profiteatur catholicam; baptizatus non catholicus, si ad normam legitimorum praescriptorum admitti valeat, nonnisi una cum alio patrino catholico admittatur;
- 3) non sit sententia aut decreto irrogante vel declarante excommunicatus, nec poena dimissionis a statu clericali innodatus nec alia poena exclusus a caeremoniis cultu publici;
- 4) non sit pater aut mater aut coniux baptizandi;
- 5) sit ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut his deficientibus, a ministro designatus.

Can. 28 (CIC 766). Ut quis licite ad munus patrini admittatur, oportet:

- 1) decimum sextum aetatis suae annum expleverit, nisi gravis causa aliud suadeat;
- 2) sit sacramentis Confirmationis et SS. Eucharistiae initiatus;
- 3) bona fama canonice gaudeat;
- 4) sit doctrina christiana rite instructus et habilis qui officia patrino propria assumat et adimpleat;
- 5) non sit in Instituto vitae consecratae novitus vel professus,

⁹ Cfr. *ibidem*, n. 8.

nisi necessitas urgeat aut expressa habeatur venia Moderatoris saltem localis.¹⁰

Can. 29 (CIC 769). Patrini, ex suscepto munere, est curare, defientibus praesertim parentibus, ut baptizatus consciente vitam christianam baptismu congruam ducat obligationesque eidem inhaerentes fideliter adimpleat.

CAPUT V

DE TEMPORE ET LOCO BAPTISMI

Can. 30 (CIC 770). § 1. Parentes obligatione tenentur curandi ut infantes intra priores post nativitatem hebdomadas baptizentur, et parochi curent ut de hac obligatione fideles debite instruantur.

§ 2. Si infans in periculo mortis versetur, sine mora baptizetur.¹¹

Can. 31 (CIC 772). Licet baptismus quolibet die celebrari possit, serventur de hac re praescripta ab Episcopis Episcoporumve Conferentiis statuta.¹²

Can. 32 (CIC 773). § 1. Proprius baptismi in forma sollemniore administrandi locus est ecclesia aut oratorium.¹³

§ 2. Salvis iuribus quae sitis, pro regula habeatur ut infans in ecclesia paroeciali parentum baptizetur, nisi iusta causa aliud suadeat.¹⁴

Can. 33 (CIC 774). § 1. Quaelibet ecclesia paroecialis baptismale habeat fontem, salvo iure cumulativo aliis ecclesiis iam quae sito.

§ 2. Loci Ordinarius potest, pro fidelium commoditate, permettere vel iubere ut fons baptismalis habeatur etiam in alia ecclesia aut oratorio intra paroeciae fines.

Can. 34 (CIC 775). Si ad ecclesiam paroeciale, aut ad aliam quae iure fontis baptismalis gaudeat, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adjuncta, sine gravi incommodo aut periculo, accedere aut transferri nequeat, baptismus forma sollemniore a parocho conferri

¹⁰ In proposito iure recognito nomine Moderatoris indicatur qui iure Codicis I. C. Superior dicitur.

¹¹ Cfr. *Ordo baptismi parvolorum*, Praenotanda, n. 8.

¹² Cfr. *ibidem*, n. 9.

¹³ In proposito iure recognito supprimitur distinctio inter oratorium publicum et oratorium semipublicum; oratorium, quod in iure Codicis privatum dicitur, vocatur sacellum (cfr. *Communicationes*, 4, 1972, pp. 161-162).

¹⁴ Cfr. *Ordo baptismi parvolorum*, Praenotanda, n. 10.

potest et debet in alia proximiore ecclesia aut oratorio intra paroeciae fines, licet haec fonte baptismali careat.

Can. 35 (CIC 776). Praeter casum necessitatis baptismus ne conferatur in domibus privatis, nisi Ordinarius loci iusta de causa id permiserit.

CAPUT VI DE COLLATI BAPTISMI PROBATIONE ET ADNOTATIONE

Can. 36 (novus). Qui baptismum administrat ad normam can. 10 curet ut, nisi adsit patrinus, habeatur unus saltem testis quo collatio baptismi probari possit.

Can. 37 (CIC 777). § 1. Parochus debet nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi, in baptizatorum libro sedulo et sine ulla mora referre, insimul indicatis die et loco nativitatis.

§ 2. Si de illegitimo filio agitur, matris nomen inserendum est, si publice de eius maternitate constet aut ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris inserendum est, si eius paternitas probatur sive publico documento etiam civili sive ipsius declaratione coram parocho et duobus testibus facta; in ceteris casibus, inscribatur baptizatus nulla indicatione facta de patris aut parentum nomine.

Can. 38 (CIC 778 et novus). § 1. Si baptismus nec a parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister baptismi, quicumque sit, de collato baptismo certiorem facere debet parochum paroeciae in qua baptismus administratus est.

§ 2. Si baptismus administratus fuerit in paroecia quae non est parentum propria, parochus paroeciae in qua baptismus collatus est, certiorem facere debet parochum paroeciae in qua parentes domicilium aut quasi-domicilium habent; qui parochus in baptizatorum libro adnotet, mentione facta de nomine baptizati eiusque parentum, se certiorem factum esse infantem in alia paroecia esse baptizatum.

Can. 39 (CIC 779). Ad collatum baptismum comprobandum. si nemini fiat praeiudicium, sufficit declaratio unius testis omni exceptione maioris, aut ipsius baptizati iusurandum, si ipse in aetate adulta baptismum receperit.

TITULUS II DE CONFIRMATIONE

Can. 40 (CIC 780-781). § 1. Sacramentum confirmationis, quod characterem imprimit, et quo christifideles perfectius Ecclesiae vinculantur atque speciali Spiritus Sancti robore ditantur, eosdem arctius obligat ut testes sint Christi fidemque diffundant ac defendant.¹

§ 2. Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem, quae fit unctione chrismatis ipsa ministri manu in fronte facta, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta.²

§ 3. Chrisma in sacramento confirmationis adhibendum debet esse ab Episcopo consecratum, etiam si sacramentum a presbytero ad normam canonum qui sequuntur ministretur.

CAPUT I DE CONFIRMATIONIS MINISTRO

Can. 41 (CIC 782, § 1). Valide confirmationem confert Episcopus, huius quidem sacramenti minister originarius, itemque presbyter cui haec facultas vi iuris communis aut peculiaris concessionis a competenti auctoritate factae competit.

Can. 42 (CIC 782, § 3). Ipso iure facultate confirmationem ministrandi gaudent:

- 1) intra fines sui territorii, qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;
- 2) quoad eos qui in periculo mortis versantur parochus, immo

¹ Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 11; Decr. *Ad gentes*, n. 36; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 5.

² Cfr. *Ordo confirmationis*, n. 9; Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II Interpretandis, *Responsum* 9 iunii 1972: *A.A.S.*, 64, 1972, p. 526.

quilibet presbyter; parocho autem non impedito, alii presbytero confirmationem ministrare non licet;

3) quoad personam de qua agitur, presbyter qui ad ultum baptizat, aut ad ultum iam valide baptizatum in plenam Ecclesiae catholicae communionem admittit.³

Can. 43 (novus). § 1. Episcopus dioecesanus, quatenus id fieri possit, confirmationem administret per se ipsum aut curet ut per alium Episcopum administretur; quod si adiuncta loci vel temporis id requirant, facultatem concedere potest certo presbytero vel certis presbyteris, qui hoc sacramentum administrent.

§ 2. Adiunctis id requirentibus, Episcopus itemque presbyter, vi iuris aut peculiaris concessionis competentis auctoritatis, facultate confirmandi donatus, potest in singulis casibus presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare.⁴

Can. 44 (CIC 183). § 1. Episcopus in sua dioecesi sacramentum confirmationis legitime administrat etiam extraneis, qui a proprio parocho praesentantur.

§ 2. Ut in aliena dioecesi confirmationem licite ministret, indiget licentia saltem rationabiliter praesumpta loci Ordinarii.

Can. 45 (CIC 782, §§ 4-5). Solis fidelibus sui ritus licite confirmationem conferunt tum presbyter latini ritus qui facultate confirmandi ad normam cann. 42 et 43 gaudet tum presbyter ritus orientalis qui eadem facultate ipso iure aut concessione peculiari pollet.

Can. 46 (CIC 784). Presbyter facultate confirmationem ministrandi gaudens, in sibi designato territorio confirmationem extraneis quoque a proprio parocho praesentatis licite confert; eam vero in alieno territorio nemini valide confert, salvo can. 42, 2.

Can. 47 (CIC 785). § 1. Episcopus dioecesanus obligatione tenetur curandi ut sacramentum confirmationis subditis rationabiliter pertinentibus conferatur.

§ 2. Presbyter qui hac facultate gaudet tenetur eadem ut erga eos in quorum favorem facultas concessa est.

³ Cfr. *Ordo initiationis christianaee adulorum*, n. 46.

⁴ Cfr. *Ordo confirmationis*, n. 8.

CAPUT II DE CONFIRMATIONIS SUBJECTO

Can. 48 (CIC 786). § 1. Confirmationis recipienda capax est omnis et solus homo baptizatus, nondum confirmatus.

§ 2. Ut quis licite confirmationem recipiat, nisi agatur de infante in periculo mortis versanti, requiritur usu rationis polleat atque rite sit dispositus et sufficienter instructus.

Can. 49 (CIC 787). Licet sacramentum confirmationis non sit de necessitate medii ad salutem, fideles obligatione tenentur illud tempore opportuno recipiendi; current animarum pastores, praesertim parochi, ut fideles ad hoc sacramentum recipiendum rite instruantur et ad illud tempore opportuno accendant.

Can. 50 (novus). Ut sacramenti confirmationis intima cum tota initiatione christiana conexio eluceat, promissiones baptismi renovent confirmationem recepturi.⁵

Can. 51 (CIC 788). Sacramentum confirmationis conferatur fidelibus circa aetatis annum consuetudine loci aut Episcoporum Conferentiae decreto determinatum, nisi adsit periculum mortis aut, de iudicio ministri, gravis causa aliud suadeat.⁶

CAPUT III DE TEMPORE ET LOCO CONFIRMATIONIS CONFERENDAE

Can. 52 (CIC 790). Sacramentum confirmationis quovis tempore conferri potest.

Can. 53 (CIC 791). Licet expedit ut sacramentum confirmationis in ecclesia, et quidem intra Missam, ministretur, ex causa tamen iusta et rationabili, extra Missam et quolibet loro digno conferri potest.⁷

Can. 54 (CIC 792). Intra territorium in quo confirmationem conferre valent, ministri in locis quoque exemptis eam ministrare possunt.

⁵ Cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 71.

⁶ Cfr. *Ordo confirmationis*, nn. 11 et 12.

⁷ Cfr. *Ordo confirmationis*, nn. 11 et 13.

CAPUT IV DE PATRINIS

Can. 55 (CIC 793). Ex vetustissimo Ecclesiae more, quantum id fieri possit, adsit confirmando patrinus.

Can. 56 (CIC 795). Ut quis patrini munere valide fungatur, oportet:

- 1) sit confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;
- 2) religionem profiteatur catholicam, nec sit ulla ex poenis de quibus in can. 27, n. 3 sententia irrogante vel declarante innodatus;
- 3) non sit pater aut mater aut coniux confirmandi;
- 4) sit a confirmando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his defientibus, a parocho vel a ministro designatus.⁸

Can. 57 (CIC 796). § 1. Ut quis licite ad munus patrini admittatur, requisitis satisfacere debet can. 28 statutis.

§ 2. Expedit ut tanquam patrinus assumatur qui idem munus in baptismo suscepit.⁹

Can. 58 (CIC 797). Patrini, ex suscepto munere, est curare ut confirmatus tanquam verus Christi testis se gerat obligationesque eidem sacramento inhaerentes fideliter adimpleat.

CAPUT V DE COLLATAE CONFIRMATIONIS ADNOTATIONE ET PROBATIONE

Can. 59 (CIC 798). Parochus debet nomina confirmatorum, facta mentione ministri, parentum et patrinorum, loci et diei confirmationis collatae, in confirmatorum libro sedulo referre, itemque de collata confirmatione monere parochum loci in quo confirmati baptizati sunt, ut

⁸ Cfr. *Ordo confirmationis*, n. 6.

⁹ Cfr. *ibidem*, n. 5.

adnotatio fiat in libro baptizatorum, ad normam can. 37 et 470 § 2 (Cod. I.C.).¹⁰

Can. 60 (CIC 799). Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, eundem de collata confirmatione minister per se vel per alium quamprimum certiore faciat.¹¹

¹⁰ Cfr. *ibidem*, n. 14.

¹¹ Cfr. *Ordo confirmationis*, n. 15.

TITULUS III
DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

CAPUT I
DE EUCHARISTICA CELEBRATIONE

Can. 61 (CIC 801). Eucharistici sacrificii celebratio, in qua Ipsemet Christus Dominus, substantialiter sub speciebus panis et vini praesens, offertur et sumitur, est ipsius Ecclesiae actio, cui in persona Christi praesidet solus sacerdos, minister huius sacramenti proprius, et ad quam ceteri qui intersunt christifideles, sive clerici sive laici, suo quiske modo pro ordinum et liturgicorum munerum diversitate participando, concurrunt.¹

Art. 1

DE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE MINISTRO

Can. 62 (CIC 802). § 1. Minister aptus, qui in persona Christi Sacrificium Eucharisticum conficiat, est solus sacerdos valide ordinatus.

§ 2. Lcite Eucharistiam celebrat sacerdos lege canonica non impeditus, servatis praescriptis canonum qui sequuntur.

Can. 63 (CIC 803). § 1. Nisi utilitas christifidelium aliud requirat aut suadeat, licet sacerdotibus Eucharistiam concelebrare.

§ 2. Integrum est sacerdotibus ut singuli Eucharistiam celebrent, non vero eo tempore quo in eadem ecclesia aut oratorio concelebratio habetur.

Can. 64 (CIC 804). § 1. Sacerdos ad celebrandum admittatur etiamsi rectori ecclesiae sit ignotus, dummodo aut litteras commendatiis sui Ordinarii exhibeat, aut alio modo ipsi rectori de eius probitate satis constet.

¹ Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 11, 26; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 47.

§ 2. Integrum est loci Ordinario hac de re normas magis determinatas edere, ab omnibus sacerdotibus servandas, etiam a sodalibus Instituti exempti, nisi agatur de iisdem admittendis ad celebrandum in ecclesiis aut oratoriis proprii Instituti.

Can. 65 (CIC 805). Omnes sacerdotes Sacrificium Eucharisticum frequenter celebrent, maxime si christifidelium bonum id suadeat; enixe ipsis commendatur ut Sacrificium Eucharisticum, quod quidem semper est actus Christi et Ecclesiae quo munus suum sacerdotale praecipuum adimplent, cotidie celebrent.²

Can. 66 (CIC 806). § 1. Exceptis diebus quibus ad normam legum liturgicarum licitum sit pluries eodem die Eucharistiam celebrare aut concelebrare, non licet sacerdoti plus semel in die celebrare, nisi ipso iure aut apostolico indulto id permittatur.

§ 2. Si sacerdotum penuria habetur, sacerdotes, iusta causa id suadente, licite bis in die, immo, necessitate pastorali id postulante, etiam ter in diebus dominicis et festis de praecipto, celebrant.

Can. 67 (CIC 813). Sacerdos Eucharistiam ne celebret sine ministro, nisi iusta et rationabili de causa.

Can. 68 (novus). Sacerdotibus catholicis non licet una cum ministris Ecclesiarum communictatumve ecclesialium plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentium Eucharistiam concelebrare.

Can. 69 (CIC 809). Integrum est sacerdoti Missam applicare pro quibusvis, tum vivis tum defunctis.

Can. 70 (CIC 845). § 1. Minister ordinarius sacrae Communionis est sacerdos et diaconus.³

§ 2. Extraordinarius sacrae Communionis minister, in casibus nempe in quibus necessitas pastoralis id requirat, est acolythus necnon, servatis loci Ordinarii praescriptis, aliis christifidelis.⁴

Can. 71 (CIC 848-850). § 1. Salvis canonibus 397, n. 3 et 514 §§ 1-3 (Codicis I.C.), parocho loci officium est et ius Sanctissimam

² Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 13; S. Congr. Rituum, *Instructio Eucharisticum mysterium*, d. 25 maii 1967, n. 44.

³ Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 29; PAULUS PP. VI, *Litterae Apost. Motu Proprio datae Sacrum diaconatus ordinem*, d. 18 iunii 1967, n. 22.

⁴ Cfr. S. Congr. de Disciplina Sacramentorum, *Instructio de communione sacramentali quibusdam in adiunctis faciliore reddenda*, d. 29 ianuarii 1973, n. 1.

Eucharistiam per modum Viatici ad infirmos in sua paroecia defendi.

§ 2. In casu necessitatis id facere possunt ceteri sacerdotes, iisque deficientibus alii sacrae communionis ministri, de licentia saltem praesumpta parochi.

Art. 2

DE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE SUBJECTO

Can. 72 (novus). Christifideles maximo in honore Sanctissimam Eucharistiam habeant, atque animarum pastores eos edoceant obligacionem qua tenentur ut summa cum veneratione augustissimo huic Sacramento debita in eiusdem celebratione partem habeant, illud recipiant et colant, atque hac etiam mente ducti ea quae sequuntur praescripta sedulo observent.

Can. 73 (CIC 853). Nisi iure prohibetur, quilibet baptizatus admitti potest et debet ad sacram Communionem.

Can. 74 (CIC 854). § 1. Sanctissima Eucharistia ne ministretur pueris qui sufficientem huius Sacramenti cognitionem non habent.

§ 2. Ut Sanctissima Eucharistia ministrari possit pueris in periculo mortis versantibus, sufficit ut Corpus Christi a communi cibo discernant atque reverenter suscipere possint.

§ 3. Ut Sanctissima Eucharistia ministrari possit pueris extra periculum mortis, requiritur ut pleniore cognitione atque accuratiore præparatione gaudeant, ita ut fidei mysteria ad salutem necessaria pro suo captu percipiant, ut eucharisticum panem a communi distinguant atque ad hoc Sacramentum devote pro suae aetatis conditione accedere valeant; parentum imprimis atque eorum qui eorundem locum tenet est curae ut pueri ita debite ad Sanctissimam Eucharistiam recipiendam præparentur.

§ 4. Parocho est officium advigilandi ne pueri ad sacram Synaxim accedant, si rationis usum adepti non sint aut sufficienter non sint dispositi; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur.

Can. 75 (CIC 855). Ad Sanctissimae Eucharistiae celebrationem aut communionem ne admittantur qui graviter deliquerunt et in contumacia manifesto perseverant.

Can. 76 (CIC 856). Qui conscientis sibi est peccati gravis ne celebret neve Corpori Domini communicet priusquam ad Sacramentum Paenitentiae accesserit, nisi adsit gravis ratio et deficiat opportunitas confitendi; quo in casu meminerit se obligatione teneri actus perfectae contritionis prius eliciendi.

Can. 77 (CIC 857). Qui Sanctissimam Eucharistiam receperit, non potest eam iterum eadem die suscipere extra Eucharisticam celebrationem, nec in ipsa, nisi particeps sit celebrationis Eucharisticae cum quadam sollemnitate peractae.

Can. 78 (CIC 858). § 1. Sanctissimam Eucharistiam recepturus per spatum unius horae ante sacram communionem abstineat a quocumque cibo et potu, excepta tantummodo aqua naturali.

§ 2. Sacerdos, qui eadem die bis aut ter Sanctissimam Eucharistiam celebrat, aliquid sumere potest ante alteram vel tertiam celebrationem, etiam si non intercedat spatum unius horae.

§ 3. Qui infirmitate quadam laborat Sanctissimam Eucharistiam recipere potest, etiam si intra horam antecedentem aliquid sumpserit.

Can. 79 (CIC 1248 et novus).

§ 1. Quilibet christifidelis obligatione tenetur Sacrificium Eucharisticum participandi singulis diebus dominicis atque festis de pracepto.

§ 2. Praeceptum de quo in § 1 adimpleri potest in die dominica vel festi aut pridie inde ab hora vespertina convenienti.

Can. 80 (CIC 859). § 1. Omnis fidelis, postquam ad annos discretionis, id est ad rationis usum, pervenerit, obligatione tenetur semel saltem in anno, et quidem tempore paschali, Sanctissimae Eucharistiae sacramentum recipere.

§ 2. Paschalis communio fiat a dominica in Palmis, usque ad festum Pentecostes; locorum Ordinariis autem fas est, si id personarum ac locorum adiuncta suadeant, hoc tempus etiam pro omnibus suis christifidelibus anticipare aut protogare.

§ 3. Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis ex causa, non adimpleverit.

Can. 81 (CIC 863). Animarum pastores christifideles suae curae commissos edoceant ex frequenti, immo vel cotidiana, Eucharisticae celebrationis participatione et Eucharistiae sumptione unionem cum

Christo augeri vitaeque spiritualis incrementum maxime foveri, eosque ad hunc usum salutarem cohortentur.⁵

Can. 82 (CIC 864). § 1. Christifideles qui in periculo mortis versantur, quavis ex causa procedat, sacrae communionis recipienda paecepto tenentur.

§ 2. Etiamsi eadem die sacra communione refecti fuerint, valde tamen suadetur ut qui in vitae discrimen adducti sint denuo communient.

§ 3. Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum pluries, distinctis diebus, administrare licet et convenit.

Can. 83 (CIC 865). Sanctum Viaticum infirmis ne nimium differatur; et qui animarum curam gerunt sedulo advigilent ut eodem infirmi plene sui compotes reficiantur.

Can. 84 (CIC 866). Christifideles Sanctissimae Eucharistiae sacramentum in quolibet ritu suscipere possunt.

Art. 3

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS EUCHARISTICAE CELEBRATIONIS

Can. 85 (CIC 814-815). § 1. Sacrosanctum Eucharisticum sacrificium confici debet ex pane et vino, cui modicissima aqua miscenda est.

§ 2. Panis debet esse mere triticeus et recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis.

§ 3. Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum.

Can. 86 (CIC 852). § 1. Sanctissimae Eucharistiae sacramentum conferatur sub sola specie panis aut sub utraque specie, ad normam legum liturgicarum.

§ 2. In casu necessitatis, licet Sanctissimae Eucharistiae sacramentum sub sola specie vini ministrare.

Can. 87 (CIC 816). § 1. In Eucharistica celebratione sacerdos,

⁵ Cfr. S. Congr. Rituum, *Instructio Eucharisticum mysterium*, n. 25 maii 1967, n. 37. S. Congr. de Disciplina Sacramentorum, *Instructio de communione sacramentali quibusdam in adiunctis faciliore reddenda*, n. 2.

secundum proprium ritum, adhibeat panem azymum aut fermentatum, ubicumque litet.

§ 2. In concelebratione Eucharistici sacrificii, sacerdotes ritum sequuntur proprium sacerdoti celebranti principali.

Can. 88 (CIC 851). § 1. Quilibet minister sacram communio-
nem distribuat pane azymo aut fermentato, secundum proprium ritum.

§ 2. Ubi vero necessitas urgeat nec minister diversi ritus praesto-
sit, licet ministro orientali qui fermentato utitur, ministrare Eucha-
ristiam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, mini-
strare in fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servare debet.

Can. 89 (CIC 817). Nefas est, urgente etiam extrema necessi-
tate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque extra Eucha-
risticam celebrationem, consecrare.

Can. 90 (CIC 818). § 1. Supremae Ecclesiae auctoritatis atque
ad normam iuris Episcoporum Conferentiarum et Episcoporum tantum-
modo cum sit Sacram moderari Liturgiam, nemini licet quidpiam pro-
prio marte in ritualibus precibus et caeremoniis addere, demere aut
mutare.⁶

§ 2. Inter probatas celebrationis Eucharistiae formulas liturgicas,
eam sacerdos in singulis casibus eligat qua fidelium utilitati eorumque
participationi magis consulatur.

Can. 91 (CIC 819). Eucharistica celebratio peragatur linguis
liturgicis iure probatis.

Can. 92 (CIC 811). Sacerdos in Eucharistia celebranda vestem
deferat convenientem necnon sacra ornamenta a rubricis sui ritus pae-
scripta.

Can. 93 (novus). § 1. Sacerdos infirmus aut aetate provectus,
si stare nequeat, Sacrificium Eucharisticum celebrare potest sedens,
servatis quidem legibus liturgicis, non tamen coram populo, nisi de
licentia Ordinarii.

§ 2. Sacerdos caecus aliave infirmitate laborans licite Eucharisticum
Sacrificium celebrat, adhibendo textum cuiuslibet ex probatis Missae,

⁶ Cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 22.

adstante, si casus ferat, alio sacerdote vel diacono aut etiam laico rite instructo, qui eundem adiuvet.

Can. 94 (novus). Si extra celebrationem Eucharisticam distribuatur communio, serventur ritus praescripti, praemissa quoque, si res ferat, brevi verbi Dei celebrationem.

Art. 4

DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS EUCHARISTIAE

Can. 95 (CIC 820, 847). Eucharistiae celebratio et distributio fieri potest quacumque die et hora, iis exceptis quae secundum liturgicas normas excluduntur; commendatur christifidelibus ut Corpus Domini sumant in ipsa Eucharistica celebratione participanda.

Can. 96 (CIC 822). § 1. Eucharisticum Sacrificium celebrandum est in loco sacro, super altare consecratum aut benedictum.

§ 2. Loci Ordinarius, aut si agatur de domo Instituti clericalis vitae consecratae Moderator maior, concedere potest, iusta de causa, ut sacerdos, etiam habitualiter, Eucharistiam celebret, extra locum sacrum, in loco tamen decenti et decoro, non autem, nisi adsit vera necessitas, in cubiculo.

§ 3. Sacerdotes in navi etiam aërea itinerantes celebrare possunt, dummodo debitae adhibeantur cautelae.

Can. 97 (CIC 869). § 1. Sacra communio ministrari potest ubique cumque sacrificium Eucharisticum celebrari licet.

§ 2. Si Sanctissima Eucharistia ad infirmum deferatur, etiam eidem astantibus ministrari potest.

Can. 98 (CIC 823). § 1. Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio in altari aliis ritus catholici Eucharistiam celebrare.

§ 2. Iusta de causa, licet sacerdoti Eucharistiam celebrare in templo alicuius Ecclesiae orientalis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentis.

§ 3. Ut sacerdos Eucharistiam celebrare possit in templis aliarum Ecclesiarum communitatumve ecclesialium cum Ecclesia catholica plenam communionem non habentium, licentia eget loci Ordinarii.

CAPUT II

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA ASSERVANDA ET VENERANDA

Can. 99 (CIC 1265). § 1. Sanctissima Eucharistia, dummodo adsit qui eius curam habeat et pro posse sacerdos saltē bis in mense Missam in sacro loco celebret:

1) asservari debet in ecclesia cathedrali aut eidem aequiparata, in qualibet ecclesia paroeciali necnon in ecclesia domui Instituti vitae consecratae sive virorum sive mulierum adnexa;

2) asservari potest, de licentia Ordinarii loci, in aliis ecclesiis et in oratoriis;

3) asservari potest in sacello Episcopi, etiam titularis tantum; non autem habitualiter in ceteris sacellis, nisi ex indulto apostolico.

§ 2. Nemini licet Sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre.

Can. 100 (CIC 1266). Omnes ecclesiae in quibus Sanctissima Eucharistia asservatur, per aliquot saltem horas cotidie fidelibus pateant, ut coram Sanctissimo Sacramento orationi vacare valeant.

Can. 101 (CIC 1267). In domo Instituti vitae consecratae aliave pia domo, Sanctissima Eucharistia asservetur tantummodo in ecclesia aut in oratorio principali domui adnexo; potest tamen iusta de causa Ordinarius permittere ut alio etiam in oratorio eiusdem domus asservetur.

Can. 102 (CIC 1268). § 1. Sanctissima Eucharistia habitualiter in uno tantum ecclesiae vel oratorii tabernaculo asservetur.

§ 2. Locus ecclesiae vel oratorii in qua Sanctissima Eucharistia asservetur, sit vere praecellens, decore ornatus atque ad orationem aptus.

§ 3. Tabernaculum in quo Sanctissima Eucharistia asservatur situm sit aut in aliquo altari aut extra altare in aliqua ecclesiae vel oratorii parte insigni et conspicua.

§ 4. Tabernaculum in quo Sanctissima Eucharistia asservatur sit inamovibile et solide clausum, ita ut quam maxime periculum profanationis vitetur.

§ 5. Qui ecclesiae vel oratorii curam habet, prospiciat ut clavis

tabernaculi, in quo Sanctissima Eucharistia asservatur, diligentissime custodiatur.⁷

Can. 103 (CIC 1269 §§ 3 et 4). Gravi de causa, licet Sanctissimam Eucharistiam, nocturno praesertim tempore, alio in loco tuiusmodi et decoro asservare.

Can. 104 (CIC 1270). Habeantur semper in tabernaculo, et quidem in apte clausa pyxide ex solida decoraque materia, hostiae consecratae numero christifidelium necessitatibus congruo.

Can. 105 (CIC 1271). Coram tabernaculo in quo Sanctissima Eucharistia asservatur, peculiaris perenniter ardeat lampas, qua indicetur Christi praesentia.⁸

Can. 106 (CIC 1272). Hostiae consecratae recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis.

Can. 107 (CIC 1274). § 1. In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare Sanctissimam Eucharistiam, fieri possunt breves expositiones sive cum pyxide sive cum ostensorio, servatis legum liturgicarum praescriptis; curet loci Ordinarius ut huiusmodi expositiones Sanctissimi Sacramenti debita cum reverentia fiant.

§ 2. In iisdem ecclesiis et oratoriis quotannis fieri potest sollemnitas Sanctissimi Sacramenti expositio per congruum tempus, etsi non continuum, protracta, ut communitas localis Eucharisticum mysterium impensis meditetur et adoret; huiusmodi tamen expositio fiat tantum si congruus praevideatur fidelium concursus, de consensu Ordinarii loci et servatis normis statutis.

§ 3. Minister expositionis Sanctissimi Sacramenti et benedictionis Eucharisticae est sacerdos vel diaconus; in extraordinariis adiunctis, solius expositionis et repositionis Sanctissimi Sacramenti, sine tamen benedictione, est acolythus, servatis loci Ordinarii praescriptis.

§ 4. Celebration Missae durante, ne habeatur in eadem ecclesiae vel oratori aula Sanctissimi Sacramenti expositio.⁹

⁷ Cfr. S. Congr. Rituum, *Instructio Eucharisticum mysterium*, nn. 52, 53, 54.

⁸ Cfr. *ibidem*, n. 57.

⁹ Cfr. S. Congr. Rituum, *Instructio cit.*, nn. 60-66.

Can. 108 (CIC 1290-1295). § 1. Ubi, de iudicio loci Ordinarii, fieri possit, convenit ut, in publicum erga Sanctissimam Eucharistiam venerationis testimonium, sollemnisi habeatur, praesertim in festo Corporis Christi, processio, etiam per vias publicas procedens.

§ 2. In festo Corporis Christi, processio habeatur unica in civitatibus, variis earundem paroeciis communis, eaque procedens ab ecclesia digniore, nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo aut aliud suadeant locorum adjuncta.

§ 3. Loci Ordinarii est non tantum de processionum opportunitate iudicare, sed etiam de iisdem statuere ordinationes, quibus earum dignitati prospiciatur.¹⁰

CAPUT III DE OBLATA AD MISSAE CELEBRATIONEM STIPE

Can. 109 (CIC 824, § 1). § 1. Secundum probatum Ecclesiae morem, sacerdoti cuilibet Missam celebranti et applicanti necnon con-celebranti et applicanti licet stipem a fidelibus oblatam recipere.

§ 2. Enixe commendatur sacerdotibus ut etiam nulla recepta stipe, Missam ad intentionem christifidetur praecipue egentium celebrent.

Can 110 (novus). § 1. Christifideles stipem ad Missae celebrationem offerentes, etiam cum rogent ut ad suam intentionem Missa applicetur, ad bonum conferunt Ecclesiae, cuius quidem curam in cultu ordinando, in officiis adimplendis operibusque sustentandis, ita etiam participant.

§ 2. Auctoritati ecclesiasticae, praesertim Episcopo dioecesano, cuius est curare ut necessitatibus Ecclesiae sustentationique clericorum suae dioecesis provideatur, competit ordinationibus suis definire rationes, offerentium quidem voluntati congruas, quibus oblates stipes in bonum Ecclesiae adhibenda sint, determinando fines ad quos cedi debent, statuendove ut sacerdos, cui stips offertur, ex integro aut ex parte eandem retineat, salvis praescriptis can. 111.

¹⁰ Cfr. S. Congr. Rituum, *Instructio* cit., n. 59.

Can. 111 (CIC 824, § 2). § 1. Sacerdos plures in die celebrans, pro una tantum Missa stipem recipere eamque suam facere potest, excepta pro aliis Missis aliqua retributione ex titulo extrinseco.

§ 2. Sacerdos plures eodem die Missas celebrans, singulas applicare potest ad intentionem pro qua stips oblatam est, ea tamen lege ut stipem pro altera et tertia Missa oblatam non retineat, sed eandem concedat in bonum Ecclesiae, iuxta Ordinarii loci praescripta.

Can. 112 (CIC 827). A stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur.

Can. 113 (CIC 825). Numquam sacerdoti licet:

1) Missam celebrare et applicare ad intentionem illius qui eam petiturus est, sed nondum petiit, et stipem postea oblatam pro Missa ita iam applicata retinere;

2) stipem recipere pro applicatione Missae quae alio titulo canonico debetur et applicatur;

3) duplicum stipem pro eiusdem Missae applicatione recipere.

Can. 114 (CIC 828). § 1. Distinctae applicandae sunt Missae ad intentiones pro quibus singulis stips, licet exigua, oblatam et acceptata est.

§ 2. Licet autem unam eandemque celebrare et applicare Missam ad intentionem plurium, qui ad communem pro eiusdem Missae celebrationem et applicationem stipem oblatam ad libitum contulerint.

Can. 115 (CIC 829). Qui onere gravatur Missam celebrandi et applicandi ad intentionem eorum qui stipem obtulerint, eadem obligatione tenetur, etiamsi sine eius culpa, stipes perceptae perierint.

Can. 116 (CIC 830). Si quis pecuniae summam obtulerit pro Missarum applicatione, non indicans Missarum celebrandarum numerum, hic supputetur attenta stipe statuta in loco in quo oblato morabatur, nisi aliam fuisse eiusdem intentionem legitime praesumi debeat.

Can. 117 (CIC 831). § 1. Episcopi dioecesani est pro sua dioecesi per decretum definire quaenam pro celebratione et applicatione Missae sit offerenda stips, itemque quid ratione tituli extrinseci sit debitum, nec licet sacerdoti summam maiorem expetere; curet autem

idem Episcopus ut quantum fieri possit eadem definiantur secundum rationem ab Episcoporum Conferentia compositam.

§ 2. Ubi desit Episcopi dioecesani decretum, servetur consuetudo in dioecesi vigens.

§ 3. Sodales Institutorum vitae consecratae, licet exempti, stare debent decreto Episcopi dioecesani aut consuetudini loci, de quibus in §§ 1 et 2.

Can. 118 (CIC 832). Sacerdoti fas est sponte oblatam stipem definita maiorem pro Missae applicatione accipere, et etiam minorem.

Can. 119 (CIC 834). § 1. Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore expresse praestitutum est, eo omnino tempore celebrandae sunt.

§ 2. Missae pro quibus celebrandis nullum determinatum tempus ab oblatore praestitutum est, si pro causa urgenti petuntur, quamprimum tempore utili celebrandae sunt; secus intra congruum tempus.

Can. 120 (CIC 835). Nemini licet tot Missarum onera per se celebrandarum accipere, quibus intra annum satisfacere non potest.

Can. 121 (CIC 836). Si certis in ecclesiis aut oratoriis, peculiari christifidelium devotione ornatis, Missae petuntur celebrandae numero plures quam ut ibidem celebrari valeant, eadem alibi celebrari possunt, nisi contraria voluntatem oblatores expresse manifestaverint.

Can. 122 (CIC 838). Qui curare debet ut Missae celebrentur quarum celebrationem aliis concredere potest, eas celebrandas committere valet sacerdotibus sibi acceptis, dummodo constet eos esse omni exceptione maiores aut testimonio proprii Ordinarii commendatos.

Can. 123 (CIC 837). Qui Missas celebrandas aliis committere intendat, eas quamprimum aliis transmittat, firmo praescripto can. 126; tempus autem intra quod, ad normam can. 119 celebrandae sunt, initium habet a die quo sacerdos easdem celebraturus recepit, nisi aliud constet.

Can. 124 (CIC 838). Qui Missas, quas celebrandas accepit aut quarum celebratio quoquo modo suae fidei commissa est, aliis celebrandas commiserit, obligatione tenetur earum celebrationem curandi usque dum acceptae ab eis obligationis et receptae stipis testimonium receperit.

Can. 125 (CIC 840). Qui Missas quas celebrandas, oblata stipe, accepit, aliis commiserit, integre eisdem stipem pro earum celebratione receptam transmittere debet, nisi certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum esse intuitu personae.

Can. 126 (CIC 841). Omnes et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo obligati ad Missarum celebrationem currandam, sive clerici sive laici, onera Missarum quibus intra annum non fuerit satisfactum suis Ordinariis tradant, secundum modum ab his definiendum.

Can. 127 (CIC 842). Officium et ius advigilandi ut Missarum onera adimpleantur, in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Ordinarium, in ecclesiis Institutorum vitae consecratae ad eorum Moderatores.

Can. 128 (CIC 843). § 1. Rector ecclesiae aliusve pii loci sive saecularis sive Instituti vitae consecratae, in quibus stipes Missarum recipi solent, peculiarem habeat librum in quo accurate adnotet Missarum celebrandarum numerum, intentionem, stipem oblatam, necnon celebrationem peractam.

§ 2. Ordinarius obligatione tenetur singulis annis huiusmodi libros per se aut per alios recognoscendi.

Can. 129 (CIC 844). § 1. Loci Ordinarius et Instituti vitae consecratae Moderator qui propriis subditis aliisve Missas celebrandas committant, quas celebrandas acceperunt Missas, notatis etiam stipibus receptis, sine mora in librum per ordinem referant currentque pro viribus ut quamprimum celebrentur.

§ 2. Quilibet sacerdos, sive saecularis sive Instituti vitae consecratae sodalis, accurate notare debet quas celebrandas acceperit Missas, quibusque satisfecerit.

TITULUS IV DE PAENITENTIA

Can. 130 (CIC 870). In Sacramento paenitentiae per absolutio-
nem a legitimo ministro impertitam, fideles rite dispositi peccata confi-
tentis veniam peccatorum quae post baptismum commiserint pacem-
que cum Ecclesia obtinent.¹

CAPUT I DE ABSOLUTIONE SACRAMENTALI

Can. 131 (novus). Individualis et integra confessio atque abso-
lutio unicum constituunt modum ordinarium, quo fidelis peccati gravis
sibi conscius se cum Deo et Ecclesia reconciliat, nisi impossibilitas phy-
sica vel moralis ab huiusmodi confessione excuset.²

Can. 132 (novus). § 1. Firmis praescriptis can. 133, absolutio
pluribus insimul paenitentibus, sine praevia individuali confessione,
generali modo impertiri potest, immo vel debet:

1) si immineat periculum mortis et tempus non suppetat sacer-
doti vel sacerdotibus ad audiendas singulorum paenitentium confessio-
nes, quo in casu praemittatur, si fieri possit, brevissima exhortatio ut
actum contritionis quisque elicere curet;

2) si accedat gravis necessitas, videlicet quando, attento paeni-
tentium numero, confessariorum copia praesto non est ad rite audien-
das singulorum confessiones intra congruum tempus, ita ut paenitentes,
sine propria culpa, gratia sacramentali aut Sacra Communione diu carere
cogantur; quo tamen in casu, christifideles de requisitis ad normam
can. 133 moneantur.³

¹ Cfr. Conc. Flor. Decr. pro Armenis; DENZ-SCHÖN, 699, 1324; Conc. Vat. II, Const.
dogm. *Lumen gentium*, n. 11; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 5.

² Cfr. S. Congr. pro Doctrina Fidei, *Normae pastorales circa absolutionem sacramentalem
generali modo impertiendam*, d. 16 iunii 1972, Norma I.

³ Cfr. *ibidem*, Norma II et III.

§ 2. Pluribus insimul paenitentibus absolutionem generali modo impertire non licet, cum confessariorum copia praesto esse potest, solius magni paenitentium concursus ratione, qualis haberi potest in magna aliqua festivitate aut peregrinatione.⁴

§ 3. Iudicium ferre an dentur condiciones ad normam § 1, 2 requisiæ, pertinet:

1) ad Episcopum dioecesanum, collatis cum aliis membris Episcoporum Conferentiae consiliis; qui quidem generali quoque ordinatione casus talis necessitatis determinare potest;

2) ad quemlibet confessarium, si, praeter casus ab eodem Episcopo statutos, alia gravis exsurgat necessitas sacramentalem absolutiōnem una pluribus impertiendi; quo tamen in casu sacerdos, ut licite absolutionem impertiat, obligatione tenetur, quoties possibile sit, praevie recurrendi ad loci Ordinarium; secus de huiusmodi necessitate ac de data absolutione eundem Ordinarium quam primum certiore faciat.⁵

Can. 133 (novus). § 1. Ut christifidelis sacramentali absolutione una simul pluribus data frui valeat, requiriatur non tantum ut sit apte dispositus, sed ut insimul sibi proponat singillatim debito tempore confiteri peccata gravia quae in praesens ita confiteri nequit.

§ 2. Caveat christifidelis, peccati gravis sibi conscient, ne, habita quidem copia confessariorum, de industria aut neglegentia obligationi confessionis individualis satisfacere declinet, occasionem qua absolutio simul pluribus detur expectans.⁶

Can. 134 (novus). Firma manente obligatione de qua in can. 159, is cui communi absolutione gravia peccata remittuntur, ad confessionem auricularem accedat antequam novam huiusmodi absolutionem sit recepturus, nisi iusta causa impediatur.⁷

⁴ Cfr. *ibidem*, Norma III.

⁵ Cfr. *ibidem*, Norma V.

⁶ Cfr. *ibidem*, Norma VI.

⁷ Cfr. *ibidem*, Norma VII.

CAPUT II
DE SACRAMENTI PAENITENTIAE MINISTRO

Can. 135 (CIC 871). Minister sacramenti paenitentiae est solus sacerdos.

Can. 136 (CIC 872). § 1. Ad validam peccatorum absolutionem requiritur ut minister, praeterquam potestate per ordinationem sacram recepta, facultate gaudeat eandem in fideles quibus absolutionem impertitur exercendi.

§ 2. Hac facultate donari potest sacerdos sive ipso iure sive speciali commissione ab auctoritate competenti facta ad normam can. 139.

Can. 137 (CIC 873 et novus). § 1. Facultate de qua in can. 136, § 1, ad potestatem absolvendi exercendam, praeter Romanum Pontificem, ipso iure ubique erga omnes fideles gaudent Cardinales; itemque Episcopi omnes, sive dioecesani sive non, qui quidem eadem et licite ubique utuntur, nisi loci Ordinarius in casu particulari renuerit.

§ 2. Ipso iure eadem facultate ubique erga omnes fideles potiuntur quoque presbyteri qui sive vi officii sibi collati facultate gaudent ad confessiones excipiendas in suo territorio, sive facultate ad confessiones excipiendas donati sunt commissione speciali Ordinarii loci in quo domicilium, eoque deficiente quasi-domicilium, habent, firmo praescripto can. 144, § 3; eadem vero facultate licite utuntur tantum servatis, ubi statuantur, normis a loci Ordinario editis.

§ 3. Ipso iure eadem facultate ubique potiuntur erga sodales sui Instituti, aliosque de quibus in can. 514 § 1 (Codicis I. C.), tum Moderatores clericalis Instituti vitae consecratae vi officii facultate gaudentes confessiones excipiendi suorum subditorum, tum presbyteri quilibet ab aliquo eiusdem Instituti Moderatore ad normam Constitutionum competenti facultate pro eius subditis donati; qui quidem eadem et licite utuntur, nisi aliquis Moderator quoad proprios subditos in casu particulari renuerit.

Can. 138 (CIC 873 §§ 1 et 2). § 1. Vi officii pro sua quisque ditione facultate ad confessiones excipiendas gaudent loci Ordinarius, Canonicus paenitentiarius, itemque parochus aliquie qui loco parochi sunt.

§ 2. Vi officii facultate gaudent confessiones excipiendi suorum

subditorum aliorumque de quibus in can. 514 § 1 (Codicis I. C.) Moderatoris Instituti clericalis vitae consecratae ad normam Constitutionum potestate regiminis exsecutiva fruentes.

Can. 139 (CIC 874 et 875). § 1. Solus loci Ordinarius competens est qui facultatem ad confessiones quorumlibet fidelium excipiendoas commissione speciali conferat presbyteris quibuscumque; presbyteri autem sodales Institutorum vitae consecratae eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Moderatoris.

§ 2. Moderator Instituti clericalis vitae consecratae, ad normam Constitutionum potestate regiminis exsecutiva in suos subditos gaudens, competens est qui facultatem ad excipiendas confessiones suorum subditorum aliorumque de quibus in can. 514 § 1 (Codicis I. C.) speciali commissione conferat presbyteris, tum sodalibus alicuius Instituti vitae consecratae tum saecularibus.

Can. 140 (CIC 877). Loci Ordinarius, itemque Moderator Instituti clericalis vitae consecratae competens, facultatem ad confessiones habitualiter excipiendas ne concedant nisi presbyteris qui idonei per examen reperti fuerint aut de quorum idoneitate aliunde constet.

Can. 141 (CIC 874 § 1). § 1. Facultatem ad excipiendas habitualiter confessiones loci Ordinarius presbytero saeculari, etsi domicilium vel quasi-domicilium in sua ditione habenti, ne concedat, nisi prius, quantum fieri possit, auditio proprio eiusdem presbyteri Ordinario.

§ 2. Facultatem ad excipiendas habitualiter confessiones loci Ordinarius ne concedat sodali Instituti vitae consecratae qui a proprio Moderatore non praesentatur; ei vero qui a proprio Moderatore praesentatur sine gravi causa eam ne deneget, firmo tamen praescripto can. 140.

Can. 142 (CIC 878). Facultas ad confessiones excipiendas a competenti auctoritate de qua in can. 139, concedi potest ad tempus sive indeterminatum sive determinatum.

Can. 143 (CIC 879). Facultas ad confessiones excipiendas, quantum fieri possit, scripto concedatur.

Can. 144 (CIC 880). § 1. Loci Ordinarius, itemque Moderator Instituti clericalis vitae consecratae competens, facultatem ad confessiones excipiendas habitualiter concessam ne revocent nisi gravem ob causam.

§ 2. Revocata facultate ad confessiones excipiendas a loci Ordinario de quo in can. 137, § 2, presbyter eandem facultatem ubique amittit; revocata eadem facultate ab alio loci Ordinario, eandem amittit in territorio revocantis tantum.

§ 3. Quilibet loci Ordinarius qui alicui presbytero revocaverit facultatem ad confessiones excipiendas, certiorem reddat Ordinarium ratione incardinationis presbyteri proprium aut, si agatur de sodali Instituti perfectionis, eiusdem competentem Moderatorem.

§ 4. Revocata facultate ad confessiones excipiendas a Moderatore generali Instituti vitae consecratae aut a proprio suo Moderatore competenti, facultatem ad excipiendas confessiones ubique amittit presbyter sodalis Instituti vitae consecratae; revocata autem eadem facultate ab alio Moderatore competenti, eandem amittit erga solos eiusdem subditos.

§ 5. Ipso iure facultate ad confessiones excipiendas privatur sacerdos, sententia aut decreto irrogante vel declarante excommunicatus, suspensus ab officio aut interdictus.

Can. 145 (CIC 882). Quilibet sacerdos, licet ad confessiones excipiendas facultate careat, quoslibet paenitentes in periculo mortis versantes valide et licite absolvit a quibusvis peccatis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus.

Can. 146 (novus). In errore communi de facto aut de iure, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, supplet Ecclesia facultatem ad confessiones excipiendas requisitam.

Can. 147 (CIC 884). Absolutio complicitis in peccato contra sextum Decalogi praeceptum invalida est, praeterquam in periculo mortis.

Can. 148 (CIC 886). Si confessarius non dubitet de paenitentis dispositione et hic absolutionem petat, absolutio ne denegetur nec differatur.

Can. 149 (CIC 894). Qui confitetur se falso confessarium innocentem apud auctoritatem ecclesiasticam denuntiasse de crimine sollicitationis ad peccatum contra sextum Decalogi praeceptum, ne absolvatur nisi prius falsam denuntiationem formaliter retractaverit.

Can. 150 (CIC 888 § 1). Sacerdos, utpote misericordiae simul ac iustitiae divinae minister a Deo constitutus, animo pastorali semper

confessiones excipiat, ut quam maxime honori divino animarumque saluti consulat.

Can. 151 (CIC 888 § 2). Sacerdos in quaestionibus ponendis maxima cum prudentia et discretione procedat, attenta quidem condicione et aetate paenitentis, abstineatque a quaestionibus quae ad aliam personarum peccata unice attinent.

Can. 152 (CIC 887). Pro qualitate et numero peccatorum, habita tamen ratione paenitentis condicione, salutares et convenientes satisfactiones confessarius iniungat; quas paenitens per se ipse implendi obligatione tenetur.

Can. 153 (CIC 889). § 1. Sacramentale sigillum inviolabile est; quare gravi obligatione tenentur confessarius itemque, si detur, interpres, ne verbo aliove quovis modo et quavis de causa prodant aliquatenus paenitentem.

§ 2. Gravi obligatione secretum servandi tenentur quoque omnes alii ad quos ex confessione notitia peccatorum quoquo modo pervenerit.

Can. 154 (CIC 890). § 1. Omnino prohibetur confessario usus scientiae ex confessione acquisitae, cum paenitentis gravamine, etiam quovis revelationis periculo excluso.

§ 2. Auctoritas quaelibet notitia quam de peccatis in confessione quovis tempore excepta habuerit, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti potest.

Can. 155 (CIC 891). Magister novitiorum eiusque socius, Moderator Seminarii aliasve Instituti educationis sacramentales confessiones suorum alumnorum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni in casibus particularibus sponte et libere id petant.

Can. 156 (CIC 892). § 1. Omnis cui animarum cura vi muneris est demandata, gravi tenetur obligatione providendi ut excipientur confessiones fidelium sibi commissorum, qui rationabiliter confiteri petant, utque iisdem opportunitas praebeatur ad confessionem individualem, diebus ac horis in eorum commodum, statutis, accedendi.

§ 2. Urgente necessitate, quilibet confessarius obligatione tenetur confessiones christifidelium excipiendi, et in periculo mortis quilibet sacerdos.

Can. 157 (CIC 908). § 1. Ad sacramentales confessiones excipiendas locus proprius est ecclesia aut oratorium.

§ 2. Quae de sede confessionali praescribenda sint, ab Episcoporum Conferentia regionis statuantur, cauto tamen ut habeatur in loco patenti sedes confessionalis crat fixa inter paenitentem et confessarium instructa.

CAPUT III

DE SACRAMENTI PAENITENTIAE SUBIECTO

Can. 158 (CIC 901-902). § 1. Christifidelis gravi tenetur obligatione confitendi omnia peccata gravia post baptismum perpetrata et nondum per claves Ecclesiae directe remissa, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat.

§ 2. Commendatur christifidelibus ut etiam peccata venialia confiteantur, quae quidem materia sufficiens sunt sacramenti paenitentiae.

Can. 159 (CIC 906). Omnis fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, obligatione tenetur peccata sua gravia saltem semel in anno fideliter confitendi.

Can. 160 (CIC 903). Non prohibetur quis, si velit, quominus per interpretem confiteatur, vitatis quidem abusibus et scandalis, firmo praescripto can. 153, § 1.

Can. 161 (CIC 905). Cuivis christifidi integrum est confessario legitime approbato etiam aliis ritus cui maluerit peccata confiteri, firmo praescripto can. 2 § 2.

CAPUT IV

DE INDULGENTIIS⁸

Can. 162 (novus). Indulgentia est remissio coram Deo poenae temporalis pro peccatis, ad culpam quod attinet, iam deletis, quam christifidelis, apte dispositus et certis ac definitis condicionibus, consequitur ope Ecclesiae quae, ut ministra redemptionis, thesaurum satisfactiōnum Christi et Sanctorum auctoritate dispensat et applicat.

⁸ Cfr. S. Paenitentiaria Apostolica, *Enchiridion indulgentiarum, Normae et concessiones*, Normae 1-36.

Can. 163 (novus). Indulgentia est partialis aut plenaria prout a poena temporali pro peccatis debita liberat ex parte aut ex toto.

Can. 164 (novus). § 1. Indulgentia sive partialis sive plenaria potest semper defunctis applicari in modum suffragii.

§ 2. Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis vitam praesentem degentibus applicare.

Can. 165 (novus). § 1. Praeter supremam Ecclesiae Auctoritatem, cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus haec potestas iure agnoscitur.

§ 2. Nulla auctoritas infra Romanum Pontificem potest facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id ei a Sede Apostolica expresse fuerit indultum.

Can. 166 (novus). Episcopus dioecesanus aliique in iure ipsi aequiparati, a capta officii possessione, ius habent:

1) concedendi indulgentiam partialem personis in quas potestatem gratiosam exercere possunt ad normam can.⁹

2) benedictionem Papalem cum indulgentia plenaria, secundum praescriptam formulam, impertiendi in sua quisque ditione ter in anno, festis sollemnibus ab ipsis designandis.

Can. 167 (novus). Metropolita potest indulgentiam partialem in dioecesibus suffraganeis sicut in propria dioecesi concedere.

Can. 168 (novus). Cardinalis facultate gaudet concedendi indulgentiam partialem ubique, sed a praesentibus solummodo semel acquirendam.

Can. 169 (novus). Indulgentia, alicui festo adnexa, translata intelligitur in eum diem quo huiusmodi festum vel eiusdem externa sollemnis legitime transfertur.

Can. 170 (novus). Ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec fieri potest a

⁹ Canon iuris recogniti, ad quem remittitur statuit: «Nisi aliud ex rei natura aut ex iuris praescripto constet, potestatem executivam gratiosam exercere quis potest in subditos, licet et territorio absentes, in peregrinos quoque in territorio actu degentes necnon erga seipsum; item eandem exercere valet extra propriam ditionem existens».

meridie diei praecedentis usque ad medium noctem quae statutum diem claudit.

Can. 171 (novus). § 1. Christifidelis qui crucifixo vel cruce, corona, scapulari, numismate, a quovis sacerdote rite benedictis, pia utitur mente, consequitur indulgentiam partiale.

§ 2. Christifidelis pia utens mente iisdem pietatis obiectis a Summo Pontifice aut a quolibet Episcopo benedictis, assequi potest etiam indulgentiam plenariam, die festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, addita tamen, qualibet legitimis formula, fidei professione.

Can. 172 (novus). § 1. Indulgentia adnexa visitationi ecclesiac non cessat, si ecclesia funditus evertatur rursusque intra quinquaginta annos aedificetur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo.

§ 2. Indulgentia adnexa usui pietatis obiecti tunc tantum cessat, cum idem obiectum prorsus desinat esse vel vendatur.

Can. 173 (novus). § 1. Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum.

§ 2. Ut vero subiectum capax eas revera lucretur, habere debet intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem.

Can. 174 (novus). § 1. Indulgentia plenaria semel tantum in die acquiri potest.

§ 2. Christifidelis tamen consequi poterit indulgentiam plenariam in articulo mortis, etiamsi eodem die indulgentiam plenariam iam acquisiverit.

§ 3. Partialis vero indulgentia pluries in die acquiri potest, nisi aliud expresse statuatur.

Can. 175 (novus). § 1. Ad indulgentiam plenariam assequendam requiritur ut perficiatur opus indulgentia ditatum atque adimpleantur condiciones, quae sunt: sacramentalis confessio, communio eucaristica et oratio quaelibet ad mentem Summi Pontificis.

§ 2. Tres condiciones perfici possunt pluribus diebus ante vel post praescripti operis exsecutionem; convenit tamen ut communio et oratio ad mentem Summi Pontificis peragantur ipso die quo opus praestatur.

§ 3. Salvis praescriptis cann. 179 et 180 si condiciones de quibus in § 1 non adimpleantur, indulgentia erit partialis tantum.

Can. 176 (novus). Opus praescriptum ad acquirendam indulgentiam plenariam ecclesiae vel oratorio adjunctam est eiusdem pia visitatio, simulque, nisi aliud statuatur, orationis Dominicae et fidei symboli recitatio.

Can. 177. (novus). Unica sacramentali confessione plures indulgentiae plenariae acquiri possunt; unica vero communione eucharistica et unica oratione ad mentem Summi Pontificis una tantum indulgentia plenaria acquiritur.

Can. 178 (novus). Opere, cui praestando aliquis lege aut praecepto obligatur, nequit indulgentia lucrifieri, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur; qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem paenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et paenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari.

Can. 179 (novus). Confessarius commutare potest sive opus praescriptum sive condiciones pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeunt.

Can. 180 (novus). Loci Ordinarius potest insuper concedere fidelibus, in quos ad normam iuris exercet auctoritatem, si in locis versantur ubi nullo modo vel saltem admodum difficile ad confessionem vel communionem accedere possint, ut ipsi queant indulgentiam plenariam consequi absque actuali confessione et communione, dummodo sint corde contriti et ad praedicta sacramenta, cum primum poterunt, accedere proponant.

TITULUS V
DE UNCTIONE INFIRMORUM

Can. 181 (CIC 937). Unctio infirmorum, qua christifideles aegrotantes Domino patienti et glorificato, ut eos alleviet et salvet commendantur, conferri debet per sacram unctionem, adhibitio oleo rite benedicto, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta.¹

CAPUT I
DE UNCTIONIS INFIRMORUM MINISTRO

Can. 182 (CIC. 938). § 1. Unctionem infirmorum valide administrat omnis et solus sacerdos.²

§ 2. Officium et ius unctionem infirmorum ministrandi habent parochus et vicarii paroeciales, sacerdos cui mandata est cura infirmorum vel senium in valetudinariis, necnon, quoad omnes in domo versantes, moderator communitatis in clericalibus Institutis vitae consecratae, atque cappellanus aliorum Institutorum vitae consecratae; in casu autem necessitatis aut de licentia saltem praesumpta parochi, cappellani vel moderatoris, aliis quilibet sacerdos hoc sacramentum licite administrat.

CAPUT II
DE UNCTIONIS INFIRMORUM SUBIECTO

Can. 183 (CIC 940). § 1. Unctio infirmorum tantummodo ministrari potest fideli qui, post adeptum rationis usum, propter infirmitatem vel senium graviter aegrotat.³

¹ Cfr. Conc. Flor., Decr. pro Armenis: DENZ-SCHÖN, 700; Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 11; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 5; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 73; PAULUS VI, Const. Ap. *Sacram Unctionem infirmorum*, die 30 nov. 1972.

² Cfr. *Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curae*, Praenotanda, n. 16.

³ Cfr. *ibidem*, nn. 8, 10, 11, 12.

§ 2. Hoc Sacramentum iterari potest, si infirmus, postquam convalescerit, denuo in gravem infirmitatem inciderit aut si, eadem infirmitate perdurante, discriminus gravius fiat.⁴

Can. 184 (CIC 941). In dubio an infirmus rationis usum attigerit, an gravis sit infirmitas qua afficitur aut an mortuus sit, hoc sacramentum ministretur.

Can. 185 (CIC 942). Unctio infirmorum ne conferatur illis qui graviter deliquerunt et in contumacia manifesto perseverant.

Can. 186 (CIC 943). Infirmis qui, cum suae mentis compotes essent, hoc sacramentum implicite saltem petierint, conferatur.⁵

Can. 187 (CIC 944). Quamvis unctio infirmorum per se non sit de necessitate medii ad salutem, fideles tempore idoneo illam recipient; current praesertim animarum pastores et infirmorum propinquui ut tempore opportuno hoc sacramento infirmi subleventur.

CAPUT III DE RITIBUS ET CAEREMONIIS UNCTIONIS INFIRMORUM

Can. 188 (CIC 945). § 1. Oleum in unctione infirmorum adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo aut a presbytero qui vi ipsius iuris aut peculiaris concessionis Sanctae Sedis hac facultate gaudet.

§ 2. Ipso iure, oleum adhibendum in unctione infirmorum benedicere possunt:

- 1) qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;
- 2) in casu necessitatis, quilibet presbyter.⁶

Can. 189 (CIC 947). § 1. Unctiones verbis, ordine et modo praescriptis in probatis liturgicis libris, accurate peragantur; in casu tamen necessitatis sufficit unctio unica in fronte, vel etiam in alia corporis parte, integra formula prolata.⁷

§ 2. Unctiones peragat minister propria manu, nisi gravis ratio usum instrumenti suadeat.

⁴ Cfr. *ibidem*, n. 9.

⁵ Cfr. *ibidem*, n. 14.

⁶ Cfr. *ibidem*, n. 21.

⁷ Cfr. *ibidem*, n. 23.

TITULUS VI
DE ORDINE

Can. 190 (CIC 948). Sacramento Ordinis ex Christi institutione inter christifideles quidam, charactere perenni quo signantur, constituantur sacri ministri seu clerici, qui nempe eodem consecrantur et deputantur ut in persona Christi munera adimplentes Evangelium annuntiandi, christifideles regendi et divinum cultum celebrandi, Dei Populum pascant.¹

Can. 191 (CIC 949). Ordines sunt episcopatus, presbyteratus et diaconatus.

CAPUT I
DE SACRAE ORDINATIONIS MINISTRO

Can. 192 (CIC 951). Sacrae ordinationis minister est Episcopus consecratus.

Can. 193 (CIC 953). Cum membrum Collegii Episcoporum quis constituatur vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite et membris, nulli Episcopo licet quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato.²

Can. 194 (CIC 954). Nisi a Sede Apostolica dispensatum fuerit, Episcopus consecrator principalis in consecratione episcopali duos saltem Episcopos consecrantes sibi adiungat; convenit autem ut omnes Episcopi praesentes una cum iisdem electum ordinent.

Can. 195 (CIC 955). § 1. Unusquisque ad presbyteratum aut diaconatum a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis litteris dimissoriis.

¹ Cfr. Conc. Trid., sess. XXIII, cap. IV, can. 5: DENZ.-SCHÖN. 964; Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 11; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 2, 5, 7, 12.

² Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 22; Decr. *Christus Dominus*, n. 4.

§ 2. Episcopus proprius, iusta de causa non impeditus, per se ipse suos subditos ordinet; sed subditum orientalis ritus, sine apostolico indulto, licite ordinare non potest.

Can. 196 (CIC 957). Vicarius et Praefectus Apostolicus, Abbas et Praelatus proprio territorio praepositus,³ Administrator Apostolicus, itemque Praelatus Praelatura personali praepositus, si charactere episcopali polleant, Episcopo dioecesano aequiparantur quod pertinet ad ordinationem conferendam.

Can. 197 (CIC 1009). Episcopus extra propriam ditionem non nisi cum licentia loci Ordinarii ordines conferre potest.

Can. 198 (CIC 956). Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem clericorum saecularium, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus per diaconatum est incardinatus; quod attinet ad ordinationem eorum qui nondum sunt diaconi et clero saeculari adscribi intendunt, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus habet domicilium, aut dioecesis in qua habet originem, aut dioecesis cui, de consensu Episcopi dioecesis domicilii, promovendus sese devovere intendit.

Can. 199 (CIC 958). § 1. Litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt:

1) Episcopus dioecesanus proprius de quo in can. 198, postquam possessionem suae dioecesis legitime cooperit ad normam can. 2 (De Episcopis dioecesanis: CIC 334, § 3);

2) Vicarius generalis et Vicarius episcopal, ex speciali tamen Episcopi dioecesani mandato;

3) Administrator Apostolicus atque, de consensu Collegii consultorum de quo in can. 11 (de Consilio presbyterali),⁴ Administrator dioecesanus;⁵

4) Vicarius et Praefectus Apostolicus, atque Pro-vicarius et Pro-prae-fectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus proprio territorio pre-

³ In proposito iure recognito *Abbas et Praelatus proprio territorio praepositus* dicitur qui in iure Codicis I. C. Abbas et Praelatus nullius nuncupatur.

⁴ In proposito iure recognito, *Collegium consultorum* constat aliquibus sacerdotibus qui inter membra Consilii presbyteralis ab Episcopo dioecesano cliguntur; eidem Collegio munera quaedam iure determinata competit.

⁵ In proposito iure recognito *Administrator dioecesanus* dicitur qui in iure Codicis I. C. Vicarius Capitularis nuncupatur.

fectus, itemque Praelatus Praelatura personali praepositus, licet episcopali chartere careant.

§ 2. Administrator dioecesanus, Pro-vicarius et Pro-prae-fectus Apostolicus litteras dimissorias ne concedant iis quibus ab Episcopo dioecesano aut a Vicario vel Praefecto Apostolico accessus ad ordines denegatus fuerit.

Can. 200 (CIC 964). § 1. Uni moderatori maior i Instituti clericalis vitae consecratae iuris quidem pontificii aut Societatis iuris pontificii facultate sibi clericos adscribendi gaudentis, competit ut suis subditis iuxta Constitutiones permanenter Instituto aut Societati adscriptis concedat litteras dimissorias ad diaconatum et ad presbyteratum.

§ 2. Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis Instituti vitae consecratae aut Societatis facultate sibi clericos adscribendi donatae, regitur iure saecularium, revocato quolibet privilegio contrario.⁶

Can. 201 (CIC 959). Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines per se ipse conferre, si chartere episcopali polleat.

Can. 202 (CIC 960). Litterae dimissoriae ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimonio, quae iure exiguntur ad normam can. 233.

Can. 203 (CIC 961). Litterae dimissoriae mitti possunt ad quemlibet Episcopum communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum, Episcopo diversi ritus a ritu promovendi.

Can. 204 (CIC 962). Episcopo ordinanti constare debet litteras dimissorias, tum pro saecularibus tum pro sodalibus Institutorum vitae consecratae aut Societatum facultate sibi clericos adscribendi gaudentium, esse authenticas atque ad normam iuris concessas.

Can. 205 (CIC 963). Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedenti aut ab eius successore limitibus circumscribi aut revocari, sed semel concessae non extinguntur resoluto iure concedentis.

⁶ Cfr. *Praenotanda*, Titulum VI, De Ordine, p. 12.

CAPUT II
DE SACRAE ORDINATIONIS SUBIECTO

Can. 206 (CIC 968). § 1. Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus.

§ 2. Licit ordinatur qui, ad normam iuris, probatione peracta, debitissimis qualitatibus, iudicio proprii Episcopi aut Moderatoris maioris competentis, praeditus sit, nulla detineatur irregularitate nulloque impedimento, atque praerequisita, ad normam cann. 212-220 adimplevit.

Can. 207 (CIC 971). Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet causam, ad ordines recipiendos cogere, vel canonice idoneum ab iisdem recipiendis avertere.

Can. 208 (CIC 969). § 1. Licit non ordinatur nisi candidatus qui, Superioris legitimi iudicio, pro Ecclesiae ministerio utilis habetur.

§ 2. Episcopo ordinanti proprium subditum, qui servitio alias dioecesis destinetur, constare debet ordinandum alteri dioecesi, ad normam can. ...⁷ addictum iri.

Can. 209 (CIC 970). Proprius Episcopus vel Moderator maior ad normam can. 200 competens nonnisi ex causa canonica, licet occulta, potest diaconis sibi subditis ascensum ad presbyteratum interdicere, salvo iure recursus ad Apostolicam Sedem vel, si agatur de sodalibus Instituti vitae consecratae, quibus ascensum interdixerit Moderator proprius, ad Moderatorem quoque generalem.

Can. 210 (CIC 972). § 1. Aspirantes ad presbyteratum accurate ad vitam spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria efformentur in Seminariis maioribus secundum praescripta can. ...⁸

§ 2. Qui extra Seminarium legitime commorantur, ab Ordinario committantur curae pii et idonei sacerdotis, qui invigilet ut ad vitam spiritualem et ad disciplinam sedulo efformentur.

⁷ Remittitur ad canonem legis recognitae de incardinatione clericorum.

⁸ Praescripta ad quae fit referentia sunt ea quae habentur in canonibus recognitis *de Clericorum institutione* (in Codice I. C., *de Seminariis*).

Can. 211 (novus). § 1. Aspirantes ad diaconatum permanentem:

1) iuvenes per tres saltem annos in peculiari degant Collegio, in quo ad vitam vere evangelicam ducendam informentur atque ad officia eidem ordini propria rite exsequenda instruantur;

2) maturioris aetatis viri, sive coelibes sive matrimonio coniuncti, aliquamdiu, secundum normas ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae aut districtus regionalis statutas, in peculiari instituantur Collegio, ut ea omnia addiscant quae ad munus diaconale digne impleendum opus erunt.⁹

§ 2. Qui vero eorum, ob specialia adiuncta, extra Collegium legitime formationem recipient, ab Ordinario commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui curam eorum agat eosque edoceat et ad munus diaconale rite implendum efformet.

Art. 1

DE REQUISITIS IN SUBJECTO SACRAE ORDINATIONIS

Can. 212 (CIC 974, § 1). Licate ad ordines promovetur tantum qui receperit sacrae confirmationis Sacramentum, quippe quo baptizatus, iam perfectius Ecclesiae vinculatus et ad fidem testandam arctius obligatus cum sit, ministerio Ecclesiae hierarchico participando magis fiat aptus.

Can. 213 (CIC 974, § 1, et 984, 1). Ad ordines promoveantur ii soli qui, prudenti iudicio Episcopi dioecesani aut Moderatoris maioris competentis, omnibus perpensis adiunctis, certo bona gaudeant existimatione, integris moribus aliisque qualitatibus physicis et psychicis, ordini recipiendo congruentibus.

Can. 214 (novus). § 1. Ad diaconatum vel presbyteratum aspirans, diaconus ne ordinetur, nisi qui prius, ad normam §§ quae sequuntur, admissionem inter candidatos ad eosdem ordines obtinuerit; ad eandem tamen admissionem obtinendam non tenetur qui per vota aut alia sacra ligamina cooptatus est in clericali Instituto vitae consecratae aut Societate clericorum.

⁹ Cfr. PAULUS PP. VI, Litterae Apost. Motu Proprio datae *Sacrum diaconatus ordinem*, d. 18 iunii 1967: A.A.S., 59, 1967, pp. 697-704; II, nn. 6-7; III, nn. 14-15.

§ 2. Ad eandem admissionem obtinendam requiritur libera aspirantis petitio, propria manu exarata et subscripta, necnon competentis auctoritatis ecclesiasticae acceptatio scripto data, vi cuius Ecclesiae electio efficitur.

§ 3. Auctoritas pro eadem acceptatione competens est Episcopus dioecesanus de quo in can. 198, et pro sodalibus sui Instituti aut Societatis Moderator maior de quo in can. 200.

§ 4. Admissio inter candidatos ad diaconatum fit cum ritu liturgico, peragendo ab auctoritate ecclesiastica, de qua in § 3.

§ 5. Inter candidatos ad diaconatum transeuntem ne admittatur nisi qui vigesimum saltem aetatis annum expleverit et studiorum philosophico-theologicorum curriculum cooperit.¹⁰

Can. 215 (novus). § 1. Candidatus ad diaconatum, sive permanentem sive transeuntem, ministeria Lectoris et Acolythi, nisi eadem iam receperit, prius debet recipere et per congruum tempus exercere, nisi a Sancta Sede dispensatio concessa sit.

§ 2. Inter acolythatus et diaconatus collationem intervallum intercedat sex saltem mensium, nisi ab Episcoporum Conferentia illud protrahendum statuatur.¹¹

Can. 216 (novus). Candidatus, ut ad ordinem diaconatus aut presbyteratus promoveri possit, Episcopo dioecesano de quo in can. 198, aut Moderatori maiori de quo in can. 200, declarationem tradat propria manu exarata et subscriptam, qua testificetur se sponte ac libere sacram ordinem suscepturum atque se ministerio ecclesiastico perpetuo mancipaturum esse, insimul petens ut ad ordinem recipiendum admittatur.¹²

Can. 217 (novus). Candidatus ad diaconatum, qui non sit uxoratus, item candidatus ad presbyteratum, ad diaconalem ordinationem ne admittatur, nisi ritu praescripto publice coram Deo et Ecclesia obligacionem caelibatus assumpserit, aut, si eandem publice iam assumpserit, renovaverit.¹³

¹⁰ Cfr. PAULUS PP. VI, Litterae Apost. Motu Proprio datae *Ad pascendum*, d. 15 aug. 1972, nn. I et III: *A.A.S.*, 64, 1972, pp. 538-539.

¹¹ Cfr. *ibidem*, nn. II et IV: *A.A.S.*, *ibidem*, p. 539.

¹² Cfr. PAULUS PP. VI, Litterae Apost. Motu Proprio datae *Ad pascendum*, d. 15 aug. 1972, n. VI: *A.A.S.*, 64, 1972, p. 539.

¹³ Cfr. *ibidem*, n. VI: *A.A.S.*, *ibidem*, p. 539.

Can. 218 (CIC 973, § 2). Admissus ad ministeria, de quibus in can. 215, qui diaconatum recipere recuset, itemque diaconus qui ad presbyteratum promoveri renuat, non possunt ad eosdem ordines recipiendos cogi, nec a ministeriorum receptorum ordinis recepti exercitio prohiberi, nisi impedimento detineantur canonico aliave gravis, de iudicio Episcopi dioecesani aut Moderatoris maioris competentis, obsit causa.

Can. 219 (CIC 975). § 1. Presbyteratus ne conferatur nisi iis qui aetatis annum vigesimum quartum expleverint, servato insuper intervallo sex saltem mensium inter diaconatum et presbyteratum; qui ad presbyteratum destinantur, ad diaconalem ordinationem tantummodo admittantur, post expletum aetatis annum vigesimum tertium.

§ 2. Candidatus ad diaconatum permanentem qui non sit uxoratus ad eundem diaconatum ne admittatur, nisi post expletum vigesimum quintum saltem aetatis annum; qui matrimonio coniunctus est, nonnisi post expletum trigesimum quintum saltem aetatis annum, atque de uxor's consensu.¹⁴

§ 3. Integrum est Episcoporum Conferentiis regionum ecclesiasticarum aut districtuum regionalium normam statuere, qua provectior ad presbyteratum et ad diaconatum permanentem requiritur aetas.¹⁵

§ 4. Dispensatio ultra annum super aetate requisita ad normam §§ 1 et 2 Apostolicae Sedi reservatur.

Can. 220 (CIC 976). § 1. Nisi ob specialia adiuncta episcoporum Conferentia aliud statuerit, candidatus ad presbyteratum promoveri tantum potest ad diaconatum post expletum quintum curriculi studiorum philosophico-theologicorum annum.

§ 2. Episcopus dioecesanus statuere valet ut post expletum studiorum curriculum diaconi per tempus congruum in cura pastorali partem habeant, diaconalem exercentes ordinem, antequam ad presbyteratum promoveantur.

§ 3. Aspirans ad diaconatum permanentem ad hunc ordinem ne promoveatur nisi post expletum formationis tempus.

¹⁴ Cfr. PAULUS PP. VI, Litterae Apost. Motu Proprio datae *Sacrum diaconatus ordinem*, II, n. 5; III, nn. 11-12.

¹⁵ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Optatam totius*, n. 12; PAULUS PP. VI, Litterae Apost. Motu Proprio datae *Sacrum diaconatus ordinem*, II, n. 5.

§ 4. Institutio theologica peragi debet in institutis a competenti auctoritate probatis, et secundum rationem studiorum pariter approbatam, nisi intercesserit Episcopi dioecesani dispensatio.¹⁶

Can. 221 (CIC 977 et 978, § 3). Nemo potest, nisi de peculiari Romani Pontificis licentia, ad diaconatum et presbyteratum uno eodemque die promoveri, reprobata quavis consuetudine contraria.

Can. 222 (CIC 979-982). § 1. Omnes diaconi saeculares ordinentur titulo servitii Ecclesiae particularis cui sese stabiliter devovere intendunt, sub auctoritate Episcopi dioecesani.

§ 2. Huius tituli ratione, Episcopus dioecesanus curare debet ut debite consulatur diaconorum et presbyterorum honestae sustentationi utque provideatur eorundem congruenti cautioni et adsistentiae sanitiae, ad normam iuris.¹⁷

§ 3. Diaconi sodales Instituti vitae consecratae ordinentur titulo Instituti cui adscribuntur, sub auctoritate Moderatoris maioris, cuius est eorundem congruae sustentationi providere; eadem valet regula de diaconis qui alicui Societati sunt adscripti, nisi in dioecesi incardinentur.

Art. 2

DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS

Can. 223 (CIC 983). A recipiendis ordinibus arcentur qui quovis perpetuo impedimento, quod venit nomine irregularitatis, aut aliquo simplici impedimento afficiuntur: nullum autem impedimentum perpetuum, sive ex defectu sive ex delicto, nullumque simplex impedimentum contrahitur, nisi quae exprimuntur in canonibus qui sequuntur.

Can. 224 (CIC 984). Ad recipiendos ordines sunt irregulares ex defectu:

- 1) qui ob corporis debilitatem aut deformitatem convenienter altaris ministerio defungi non valet;

¹⁶ Canon de Institutione clericorum (textus recognitus de Seminariis), ad quem remittitur, affirmat possibilitatem dispensationis per Episcopum dioecesanum.

¹⁷ Canon iuris recogniti, ad quem refertur, habetur sub titulo de Clericorum obligationibus et iuribus.

2) qui, iudicio peritorum, aliqua forma laborat amentiae aliusve psychici defectus, qua inhabilis reddatur ad ministerium rite implendum.

Can. 225 (CIC 985). Ad recipiendos ordines sunt irregulares ex delicto, sive publico sive occulto, dummodo delictum post baptismum fuerit perpetratum:

1) qui a plena communione Ecclesiae catholicae scienter et libere defecerit;

2) qui matrimonium attentare aut civile tantum inire ausus fuerit, vel ipsem et vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut voto publico castitatis perfectae, etiam temporaneo, a matrimonio ineundo impeditus, vel cum muliere matrimonio valido coniuncta aut eodem voto ad stricta;

3) qui voluntarium homicidium perpetraverit aut fetu*s* humani abortum procuraverit, effectu secuto, omnesque positive cooperantes;

4) qui seipsum vel alium mutilaverit vel sibi vitam adimere tentaverit;

5) qui actum ordinis posuerit constitutis in ordine sacro reservatum, vel eodem carens, vel ab eius exercitio poena aliqua canonica prohibitus.

Can. 226 (CIC 987). Sunt a recipiendis ordinibus simpliciter impediti:

1) vir uxorem habens, nisi ad diaconatum permanentem legitime destinetur;

2) qui officium vel administrationem gerit clericis vetitam cuius rationem reddere debet, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liber factus sit;

3) neophytus, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probatus fuerit.

Can. 227. § 1. Ad exercendos ordines receptos sunt irregulares:

1) qui irregularitate ad ordines recipiendos dum afficiebatur, illegitime ordines receperit;

2) qui gravi corporis debilitate laborat, quatenus rite sacras functiones peragere non valeat;

3) qui aliquod delictum commiserit de quo in can. 225, n. 1, si delictum est publicum;

4) qui aliquod delictum commiserit ex iis, de quibus in can. 225, nn. 2, 3, 4, 5.

§ 2. Ab ordinibus exercendis impediuntur:

1) qui impedimento ad ordines recipiendos detentus, illegitime ordines receperit;

2) qui amentia aliove defectu psychico de quo in can. 224, n. 2, afficitur, usquedum Ordinarius, consulto perito, eiusdem ordinis exercitium permiserit:

Can. 228 (CIC 988). Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non eximit.

Can. 229 (CIC 989). Irregularitates et impedimenta multipli- cantur ex diversis eorundem causis, non autem ex repetita eadem causa, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario aut ex procurato fetus humani abortu, effectu secuto.

Can. 230 (CIC 990). § 1. Uni Apostolicae Sedi reservatur dispensatio ab omnibus irregularitatibus, si factum quo innituntur ad forum iudiciale deductum fuerit.

§ 2. Eadem etiam reservatur dispensatio ab irregularitatibus et impedimentis ad ordines recipiendos quae sequuntur:

1) ab irregularitatibus ex delicto publico de quibus in can. 225, nn. 1 et 2;

2) ab irregularitate ex delicto sive publico sive occulto de quo in can. 225, n. 3;

3) ab impedimento de quo in can. 226, n. 1.

§ 3. Apostolicae Sedi etiam reservatur dispensatio ab irregularitatibus ad exercitium ordinis suscepti de quibus in can. 225, n. 2, in casibus publicis tantum, atque in eodem canone, n. 3, etiam in casibus occultis.

Can. 231 (CIC 990, § 3). In casibus occultis urgentioribus, si adiri nequeat Episcopus, aut quando de irregularitatibus agatur de quibus in can. 225, n. 3, S. Paenitentiaria, et si periculum immineat

gravis damni aut infamiae, potest qui irregularitate ab ordine exercendo impeditur eundem exercere, firmo tamen manente onere quamprimum recurrendi ad Ordinarium aut S. Paenitentiarium, reticito nomine et per confessarium.

Can. 232 (CIC 991). § 1. In precibus ad obtinendam irregularitatum ac impedimentorum dispensationem, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt; attamen, dispensatio generalis valet etiam pro reticitis bona fide, exceptis irregularitatibus de quibus in can. 225, n. 3, aliave ad forum iudiciale deducta, non autem pro reticitis mala fide.

§ 2. Si agatur de irregularitate ex voluntario homicidio aut ex procurato foetus humani abortu, etiam numerus delictorum ad validitatem dispensationis exprimendus est.

§ 3. Dispensatio generalis ab irregularitatibus et impedimentis ad ordines recipiendos valet pro diaconatu et presbyteratu.

CAPUT III

DE IIS QUAE SACRAE ORDINATIONI PRAEIRE DEBENT

Can. 233 (CIC 993). § 1. Ut Episcopus aut Moderator maior aliquem ad ordines recipiendos admittat, requiritur ut habeat documenta quae in § 2 recensentur atque, peracto ad normam § 3 scrutinio, moraliter certus sit candidatum iis qualitatibus esse ornatum quae ad ministerium ordinis rite et fructuose exercendum requiruntur, et eundem nullis adstrictum esse irregularitatibus et impedimentis canonicis.

§ 2. Documenta quae requiruntur sunt sequentia:

1) si agatur de ordinandis ad presbyteratum, testimonium recepti diaconatus;

2) si agatur de promovendis ad diaconatum, testimonium recepti baptismi et confirmationis, atque receptorum ministeriorum de quibus in can. 215; item testimonium factae declarationis de qua in can. 216, necnon, si ordinandus sit uxoratus qui promovendus est ad diaconatum permanentem, testimonia celebrati matrimonii et consensus uxoris;

3) testimonium de studiis rite peractis ad normam can. 220, §§ 1 et 2.

§ 3. Ad scrutinium de qualitatibus in ordinando requisitis quod attinet, serventur praescripta quae sequuntur:

1) habeatur testimonium rectoris Seminarii vel domus formationis aut, si extra Seminarium candidatus institutus fuerit, sacerdotis cuius curae commissus fuit, de eiusdem qualitatibus ad ordinem recipiendum requisitis, scilicet de eius recta doctrina, genuina pietate, bonis moribus atque aptitudine ad ministerium exercendum; itemque, rite peracta inquisitione, de candidati statu valetudinis physicae et psychicae;

2) si id expedire iudicet, Episcopus aut Moderator maior de iisdem candidati qualitatibus deque eius libertate ab omni impedimento canonico, testimoniales petat litteras ab Episcopo alius dioecesis aut Moderatore maiore aliis provinciae Instituti vitae consecratae aut Societatis clericalis, in qua candidatus postquam aetatis annum decimum quartum expleverit commoratus sit;

3) in paroeciis in quibus candidatus post expletum aetatis annum decimum quartum domicilium aut quasi-domicilium habuerit, publicationes nominis promovendi ad ordinem fiant, si ita praescripsit Episcoporum Conferentia regionis aut districtus regionalis, atque modo ab eadem Conferentia definito;

4) Episcopus aut Moderator maior, ut scrutinium rite peragatur, alia quoque potest adhibere media, quae, pro temporis et loci adjunctis, sibi utilia videantur.

Can. 234 (CIC 996). Curet Episcopus aut Moderator maior ut candidatis, antequam ad ordinem aliquem promoteantur, instructiones dentur quibus rite edoceantur in iis quae ad ordinem pertinent.

Can. 235 (CIC 997). § 1. Ut Episcopus ordinationem iure proprio conferens ad eam procedere possit, ipsi constare debet documenta de quibus in can. 233, § 2 praesto esse atque, scrutinio ad normam iuris peracto, idoneitatem candidati esse probatam.

§ 2. Ut Episcopus ad ordinationem procedat alieni subditi, sive saecularis sive sodalis Instituti vitae consecratae, sufficit ut litterae dimissoriae referant eadem documenta praesto esse, scrutinio ad normam iuris esse peractum atque de idoneitate candidati constare; quodsi promovendus sit sodalis Instituti vitae consecratae aut Societatis clericalis,

eaedem litterae insuper testari debent eundem cooptatum fuisse et esse subditum Moderatori qui dat litteras.

§ 3. Si illis non obstantibus, ob certas rationes Episcopus dubitat num candidatus sit idoneus qui ad ordines promoveatur, eundem ne promoveat.

Can. 236 (CIC 1001). Omnes qui ad aliquem ordinem promovendi sunt, exercitiis spiritualibus vacent, loco et modo ab Ordinario determinatis; et Episcopus, antequam ad ordinationem procedat, certior factus esse debet candidatos rite iisdem exercitiis vacasse.

CAPUT IV

DE TEMPORE ET LOCO SACRAE ORDINATIONIS

Can. 237 (CIC 1006). § 1. Ordinatio episcopalis intra Missarum sollemnia cum christifidelium quam maxima frequentia celebretur, die dominico vel festo de praecepto, nisi rationes pastorales alium diem, festum Apostolorum praesertim, suadeant.

§ 2. Ceterae ordinationes intra Missarum sollemnia cum christifidelium quam maxima frequentia celebrentur, die dominico vel festo de praecepto, sed ob rationes pastorales aliis etiam diebus, ferialibus non exceptis, fieri possunt.

Can. 238 (CIC 1007). Quoties ritus ordinationis reiterandus sit vel aliquis ritus supplendus, id quolibet die ac secreto fieri potest.

Can. 239 (CIC 1009). Ordinationes in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque canonicis, vocatoque clero civitatis, celebrentur; ob rationes tamen pastorales in alia dioecesis ecclesia aut oratorio celebrari possunt, vocato saltem clero loci, immo, iusta de causa, in sacello domus episcopalibus.

CAPUT V

DE ADNOTATIONE AC TESTIMONIO PERACTAE ORDINATIONIS

Can. 240 (CIC 1010). § 1. Expleta ordinatione, nomina singulorum ordinandorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notentur in peculiari libro in Curia loci ordinationis diligenter custo-

diendo, et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur.

§ 2. Singulis ordinatis det Episcopus ordinans authenticum ordinationis receptae testimonium; qui, si ab Episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Ordinario exhibeant pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivio servando.

Can. 241 (CIC 1011). Loci Ordinarius, si agatur de saecularibus, aut Moderator maior competens, si agatur de suis subditis, notitiam uniuscuiusque celebratae ordinationis transmittat ad parochum loci baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro ad normam can. 470 § 2 (Codicis I. C.).

TITULUS VII
DE MATRIMONIO

Can. 242 (CIC 1012). § 1. Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimoniale inter baptizatos.

§ 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum.

Can. 243 (CIC 1013). § 1. Matrimonium, quod fit mutuo consensu de quo in cann. 295 ss., est (intima)¹ totius vitae coniunctio inter virum et mulierem, quae, indole sua naturali, ad prolis procreationem et educationem ordinatur.

§ 2. Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti.

Can. 244 (CIC 1014). Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 345.

Can. 245 (CIC 1015). § 1. Matrimonium quodlibet validum dicitur legitimum.

§ 2. Matrimonium baptizatorum validum dicitur ratum, si nondum consummatione completum est; ratum et consummatum si coniuges inter se (humano modo) posuerunt coniugalem actum per se aptum ad prolis generationem, ad quem natura sua ordinatur matrimonium, et quo coniuges fiunt una caro.

§ 3. Celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, praesumitur consummatio, donec contrarium probetur.

¹ Ubi habentur verba inter parentheses scripta, rogantur Episcopi aliique, quorum iudicio textus subiiciuntur, ut respondeant utrum, de eorum sententia, eadem verba in textu servanda sint necne.

§ 4. Matrimonium quodvis invalidum dicitur putativum, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.

Can. 246 (CIC 1016). Matrimonium, utpote humanae consortionis principium et fundamentum, civilem quoque societatem spectat; sed cum matrimonium inter baptizatos initum adnumeretur inter novae legis sacramenta, disciplina eius et cura, quod ad integratatem sanctitatemque attinet, a Christo Ecclesiae commissae sunt. Matrimonium baptizatorum, etsi una tantum pars sit baptizata, regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus.

Can. 247 (CIC 1017). § 1. Matrimonii promissio sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalitia reguntur iure particulari, quod ab Episcoporum Conferentia, habita ratione consuetudinum et legum civilium, si quae sint, statutum fuerit.

§ 2. Ex matrimonii promissione non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem dannorum, si qua habeantur.

Can. 248 (CIC 1018). Pastores animarum vi officii sui tenentur, ut munus impertiendi catecheticam instructionem de matrimonii sacramento adimpleant, secundum normas ab auctoritate ecclesiastica tradendas.

CAPUT I

DE IIS QUAE MATRIMONII CELEBRATIONI PRAEMITTI DEBENT

Can. 249 (CIC 1019). § 1. Pastorum animarum officium est pro temporum locorumque necessitatibus omnia pericula a matrimonio invalide ac illicite celebrando remediis opportunis arcere, ideoque antequam matrimonium celebretur constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere.

§ 2. In periculo mortis vel casu urgentis celebrationis, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio contrahentium, si casus ferat, etiam iurata, sc baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento.

Can. 250 (CIC 1020). Episcoporum Conferentiae statuant normas de examine sponsorum, de publicationibus matrimonialibus deque aliis opportunis mediis ad investigationes, quae ante matrimonium peragendae sunt, quibus diligenter observatis, parochus procedere possit ad matrimonio assistendum.

Can. 251 (CIC 1021). Catholici qui sacramentum Confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possint sine gravi incommodo.

Can. 252 (CIC 1027). Omnes fideles obligatione tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelandi.

Can. 253 (CIC 1028). § 1. Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti iudicio potest ex iusta et rationabili causa a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare.

§ 2. Si plures sint Ordinarii proprii, illius est dispensare in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, cuiuslibet Ordinarii proprii.

Can. 254 (CIC 1029). Si alius quam parochus, cuius est assistere matrimonio, investigationes peregerit, de harum exitu quamprimum per authenticum documentum certiore illum reddat.

Can. 255 (CIC 1032). Matrimonio vagorum parochus, excepto casu necessitatis, ne assistat, nisi re ad loci Ordinarium delata, licentiam assistendi obtinuerit.

Can. 256 (novus). Eadem ratione ac in can. 255 parochus procedat, quando agitur de matrimonio corum qui perdurante priore matrimonio adulterium inter se consummarunt et matrimonium per civilem actum attenterunt.

Can. 257 (CIC 1033). § 1. Parochus sponsos, secundum diversarum personarum condicionem, doceat sanctitatem matrimonii, mutuas coniugum obligationes et obligationes parentum erga prolem.

§ 2. Parochus curet de paranda celebratione matrimonii, ita ut dignitas sacramentalis eluceat et coniuges ac ceteri adstantes actuose participant ritum sacrum.

Can. 258 (CIC 1034). Parochus filiosfamilias minores admoneat ne nuptias inceant, insciis aut rationabiliter invitatis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario.

CAPUT II

DE IMPEDIMENTIS IN GENERE

Can. 259 (CIC 1035). Omnes possunt matrimonium contrahere qui iure non prohibentur.

Can. 260 (CIC 1036). § 1. Impedimentum prohibens secum fert grave vetitum contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur, si, non obstante hoc impedimento, contrahatur.

§ 2. Impedimentum dirimens et prohibet matrimonium contrahendum, et impediret quominus valide contrahatur.

§ 3. Impedimentum quamvis ex alterutra parte tantum se habeat, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum.

Can. 261 (CIC 1037). Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest; secus est occultum.

Can. 262 (CIC 1038). § 1. Supremae tantum Ecclesiae auctoritatis est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium prohibeat vel dirimat.

§ 2. Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta matrimonium prohibentia vel dirimentia pro baptizatis constitutendi, salvo praescripto § 3.

§ 3. Episcoporum Conferentiae, attentis peculiaribus adiunctis, impedimenta particularia sive prohibentia sive dirimentia constituere possunt, decreto ad normam iuris lato.

Can. 263 (novus). Impedimentis iuris mere ecclesiastici tenentur tantum illi qui sunt in Ecclesia catholica baptizati vel in eam recepti nec actu formalis ab ea defecerunt.

Can. 264 (novus). Sola suprema Ecclesiae auctoritas potest impedimenta iuris ecclesiastici abrogare aut illis derogare, salvo iure Epi-

scoporum Conferentiae abrogandi impedimenta a se instituta vel illis derogandi.

Can. 265 (CIC 1039). § 1. Ordinarius loci in suo territorio commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii, vetare potest matrimonium in casu peculiari, sed ad tempus tantum, gravi de causa eaque perdurante.

§ 2. Vetito clausulam dirimentem una suprema Ecclesiae auctoritas addere potest.

Can. 266 (CIC 1040). § 1. Ordinarius loci proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes ab omnibus impedimentis iuris ecclesiastici dispensare potest, exceptis iis, quorum dispensatio Sedi Apostolicae reservatur.

§ 2. Impedimenta quorum dispensatio Sedi Apostolicae reservatur sunt:

- 1) impedimentum aetatis, quoties aetatis defectus annum excedat;
- 2) impedimentum ortum ex sacris ordinibus aut ex perpetua professione in Instituto vitae consecratae;
- 3) impedimentum criminis de quo in can. 290;
- 4) impedimentum consanguinitatis in linea collateralis usque ad tertium gradum,² cauto quidem quod ab impedimento consanguinitatis in linea recta dispensatio non datur;
- 5) impedimentum ortum ex affinitate in linea recta.

Can. 267 (CIC 1041). Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis exsistentibus contraria reprobatur.

Can. 268 (CIC 1043). Urgente mortis periculo, loci Ordinarius, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi proliis, potest tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici sive publicis sive occultis, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo.

² In proposito iure recognito de personis, admittitur modus computandi gradus consanguinitatis et affinitatis iuri romano congruus.

Can. 269 (CIC 1044). § 1. In eisdem rerum adiunctis de quibus in can. 268 et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus, tum minister sacer rite delegatus, tum sacerdos vel diaconus qui matrimonio, ad normam can. 318 § 3, assistit, tum confessarius, si agatur de casu occulto, pro foro interno extra tamen actum sacramentalis confessionis.

§ 2. In casu de quo in § 1, loci Ordinarius consetur adiri non posse, si tantum per telegraphum vel telephonum ad eum possit recurri.

Can. 270 (CIC 1045). § 1. Potest Ordinarius loci sub clausulis in fine can. 268 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in citato can. 268, quoties impedimentum detegatur vel ad notitiam Ordinarii aut parochi deferatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur.

§ 2. Haec facultas valet etiam ad convalidationem matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sedem Apostolicam vel, quod attinet ad impedimenta a quibus dispensare valet, ad Ordinarium.

§ 3. In iisdem rerum adiunctis, eadem facultate gaudent omnes de quibus in can. 269, § 1, sub eiusdem canonis clausulis, sed solum si casus natura sua vel tantum facto sit occultus et ne loci quidem Ordinarius adiri ad normam can. 269 possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti; quoad confessarium servandum est praescriptum can. 269.

Can. 271 (CIC 1046). Parochus aut sacerdos vel diaconus de quibus in can. 269, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat; eaque adnotetur in libro matrimoniorum.

Can. 272 (CIC 1047). Nisi aliud ferat S. Paenitentiariae rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro, qui in secreto Curiae archivo de quo in can. 379 (Codicis I. C.) asservandus est, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit.

Can. 273 (CIC 1055). Dispensationes super publicis vel notis impedimentis Ordinario oratorum commissas, exsequitur Ordinarius qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, etiamsi sponsi iam in aliam dioecesim discesserint non amplius rever- suri, monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contracturi sunt.

CAPUT III DE IMPEDIMENTIS PROHIBENTIBUS

Can. 274 (CIC 1058). Votum publicum temporaneum castitatis perfectae, dum obligat, matrimonium prohibet.

Can. 275 (CIC 1059). Qui lege civili prohibentur nuptias inter se inire ob cognationem legalem ex adoptione ortam (vel ob tutelam), vi iuris canonici matrimonium inter se contrahere prohibentur.

Can. 276 (CIC 1060). Matrimonium inter duas personas bapti- zatas, quarum altera sit catholica, altera vero non catholica, cum natura sua plena spirituali coniugum communioni obstet, sine praevia auctori- tatis competentis dispensatione, prohibitum est.

Can. 277 (CIC 1061). § 1. Ab impedimento mixtae religionis Ordinarius loci dispensationem concedere potest dummodo iusta causa et rationabilis habeatur et impletae sint conditiones de quibus in §§ 2, 3 et 4.

§ 2. Ad impetrandam dispensationem, pars catholica declarat se paratam esse pericula a fide deficiendi removere; eadem insuper gravi obligatione tenetur promissionem sinceram praestandi, se omnia pro viribus facturam esse, ut universa proles in Ecclesia catholica baptizetur et educetur.

§ 3. De his promissionibus a parte catholica faciendis, pars non catholica tempestive certior fiat, adeo ut constet ipsam vere conscientiam esse promissionis et obligationis partis catholicae.

§ 4. Ambae partes edoceantur de finibus et proprietatibus essentia- libus matrimonii, a neutro contrahente excludendis.³

³ Cfr. PAULUS PP. VI, Litterae Apost. Motu Proprio datae *Matrimonia mixta*, d. 31 martii 1970, nn. 2-6.

Can. 278 (CIC 1062). Episcoporum Conferentiae est, decreto ad normam iuris lato, statuere modum quo hae declarationes et promissiones, quae semper requiruntur, facienda sint, sive ore tantum, sive etiam scriptis, sive coram testibus; tum rationem definire qua de ipsis et in foro externo constet et pars acatholica certior reddatur; itemque edicere quae alia sint, pro opportunitate, postulanda.⁴

Can. 279 (CIC 1063). Locorum Ordinarii aliquique animarum pastores curent, ne coniugi catholico et filiis e matrimonio mixto natis, auxilium spirituale desit ad eorum officia conscientiae adimplenda, atque coniuges adiuvent ad vitae coniugalnis et familiaris fovendam unitatem. Qua de re, optandum est, ut iidem pastores relationes instituant cum ministris aliarum communitatum religiosarum, easque sincera probitate et sapienti fiducia conforment.

Can. 280 (CIC 1064). Episcoporum Conferentiae Apostolicam Sedem certiorem reddant de iis quae circa matrimonia mixta ad normam cann. 278, 319 § 3, 321 § 3 decreverint.

Can. 281 (CIC 1065). Matrimonio eius, qui notorie aut catholicam fidem abiecit, etsi ad communitatem acatholicam non transierit, aut societati ab Ecclesia prohibitae adscriptus est, parochus ne assistat, nisi Ordinarius loci, servatis normis de quibus in can. 277, ad singulos casus (conveniente) aptatis, licentiam dederit.

CAPUT IV DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS

Can. 282 (CIC 1067). § 1. Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt.

§ 2. Integrum est Episcoporum Conferentiae aetatem superiorem ad matrimonii celebrationem, ad normam can. 262 § 3, statuere.

§ 3. Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes

⁴ Cfr. *ibidem*, n. 7.

ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet.

Can. 283 (CIC 1068). § 1. Impotentia coeundi antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso iure naturae (ex ipsa natura matrimonii)⁵ dirimit.

§ 2. Si impedimentum potentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum, nec, stante dubio, nullum declarandum.

§ 3. Sterilitas matrimonium nec prohibet nec dirimit, firmo praescripto can. 300.

Can. 284 (CIC 1069). § 1. Invalidum matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei.

§ 2. Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constituerit.

Can. 285 (CIC 1070). § 1. Matrimonium inter duas personas, quarum altera sit baptizata in Ecclesia catholica vel in eandem recepta nec actu formaliter ab ea defecerit et altera non baptizata, initum sine praevia competentis auctoritatis dispensatione, est invalidum.

§ 2. Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, praesumenda est, ad normam can. 244, validitas matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.

Can. 286 (CIC 1071). Quae in cann. 277-280 praescripta sunt applicari quoque debent matrimonii, quibus obstat impedimentum disparitatis cultus.

Can. 287 (CIC 1072). § 1. Invalidum matrimonium attentat qui in sacris ordinibus sunt constituti.

§ 2. Etiam diaconi qui coniugati fuerunt, de quibus in can. 211 § 1, 2, ad novum matrimonium contrahendum inhabiles sunt.

⁵ Quaeritur utrum dicendum sit «ipso iure naturae» an «ex ipsa natura matrimonii».

Can. 288 (CIC 1073). Invalidum matrimonium attentant qui votum publicum perpetuum castitatis emiserint.

Can. 289 (CIC 1074). Inter virum et mulierem abductam vel saltem retentam intuitu matrimonii cum eo contrahendi, quamdiu sub illo influxu subiectionis ipsa permaneat, nullum matrimonium consistere potest, nisi postea mulier, deliberata voluntate ac sponte, matrimonium eligat.

Can. 290 (CIC 1075). Qui intuitu matrimonii cum certa persona ineundi, huius coniugi vel proprio mortem intulerit, invalidum matrimonium attentat.

Can. 291 (CIC 1076). § 1. In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales.

§ 2. In linea collaterali irritum est usque ad quartum gradum inclusive.

§ 3. Impedimentum consanguinitatis non multiplicatur.

§ 4. Numquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in secundo gradu lineae collateralis.

Can. 292 (CIC 1077). § 1. Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum.

§ 2. Affinitatis impedimentum non multiplicatur.

Can. 293 (CIC 1078). § 1. Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido post instauratam vitam communem et ex notorio vel publico concubinatu; et nuptias dirimit in primo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa.

§ 2. Matrimonium invalidum, de quo in § 1, intelligitur etiam matrimonium civiliter contractum, quod est propter defectum formae canonicae invalidum.

Can. 294 (CIC 1080). Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam aut ob tutelam, vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere nequeunt.

CAPUT V
DE CONSENSU MATRIMONIALI

Can. 295 (CIC 1081). § 1. Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus; qui nulla humana potestate suppleri valet.

§ 2. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo vir et mulier foedere inter se constituunt consortium vitae coniugalis, perpetuum et exclusivum, indole sua naturali ad prolem generandam et educandam ordinatum.

Can. 296 (novus). Sunt incapaces matrimonii contrahendi:

1) qui mentis morbo aut gravi perturbatione animi ita afficiuntur ut matrimonialem consensum, utpote rationis usu carentes elicere nequeant;

2) qui laborant gravi defectu discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia mutuo tradenda et acceptanda.

Can. 297 (novus). Sunt incapaces matrimonii contrahendi qui ob gravem anomaliam psychosexualem obligationes matrimonii essentiales assumere nequeunt.

Can. 298 (CIC 1082). § 1. Ut consensus matrimonialis haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorant matrimonium esse consortium permanens inter virum et mulierem ordinatum ad prolem, cooperatione aliqua corporali, procreandam.

§ 2. Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur.

Can. 299 (CIC 1083). § 1. Error in persona invalidum reddit matrimonium.

§ 2. Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium non dirimit nisi redundet in errorem personae.

Can. 300 (novus). Qui matrimonium init deceptus dolo, ad obtinendum consensum patrato, circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad consortium vitae coniugalis graviter perturbandum, invalide contrahit.

Can. 301 (CIC 1084). Error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem, dummodo non afficiat voluntatem, non vitiat consensum matrimonialem.

Can. 302 (CIC 1085). Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem non necessario excludit.

Can. 303 (CIC 1086). § 1. Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis.

§ 2. At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum aut ius ad vitae communionem, aut ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit.

Can. 304 (CIC 1087). Invalidum est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste, etiam inconsulte incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.

Can. 305 (CIC 1088). § 1. Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes una simul sive per se ipsi sive per procuratorem.

§ 2. Sponsi consensum matrimonialem verbis exprimant; si vero loqui non possint signis aequipollentibus.

Can. 306 (CIC 1089). § 1. Ad matrimonium per procuratorem valide ineundum requiritur:

- 1) ut adsit mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona;
- 2) ut procurator ab ipso mandante designetur et munere suo per se ipse fungatur.

§ 2. Ut mandatum valeat, illud subscribi debet a mandante et praeterea a parocho vel Ordinario loci in quo mandatum fit; aut a sacerdote ab alterutro delegato, aut a duobus saltem testibus.

§ 3. Si mandans scribere nesciat vel nequeat id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est.

§ 4. Si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverit.

Can. 307 (CIC 1090). Matrimonio per procuratorem contrahendo parochus ne assistat nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia.

Can. 308 (CIC 1091). Matrimonium per interpretem contrahi potest; cui parochus ne assistat nisi de interpretis fide sibi constet.

Can. 309 (CIC 1092). § 1. Matrimonium sub conditione de futuro valide contrahi nequit.

§ 2. Matrimonium sub conditione de praeterito vel de praesenti initum erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, exsistit vel non.

Can. 310 (CIC 1093). Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti vel defectus formae initum fuerit, consensus praestitus presumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit.

CAPUT VI DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII

Can. 311 (CIC 1094). § 1. Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram assistente loci Ordinario aut parocho aut sacerdote vel diacono ab alterutro delegato necnon coram duobus testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in cann. 315, 318 et 319.

§ 2. Assistere matrimonio est praesens requirere manifestationem contrahentium consensus eamque recipere.

Can. 312 (CIC 1095). Parochus et loci Ordinarius vi officii valide matrimoniis non tantum subditorum, sed etiam non subditorum assistunt, intra fines sui territorii, a die initi officii, quandiu valide officio funguntur.

Can. 313 (CIC 1096). § 1. Parochus et loci Ordinarius, quandiu valide officio funguntur, possunt facultatem intra fines sui territorii matrimoni assistendi, etiam generalem, delegare sacerdotibus et diaconis.

§ 2. Delegatio facultatis assistendi matrimoniis ut valida sit determinatis personis expresse, immo si de delegatione generali agitur, scripto dari debet.

Can. 314 (novus). Delegatio specialis concedenda non est nisi postquam provisum sit de omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda.

Can. 315 (novus). Matrimonium contractum assistente sacerdote vel diacono, facultate assistendi carente, Ecclesia a momento celebrationis in radice sanat, dummodo matrimonium celebretur coram duobus testibus in ecclesia vel oratorio et assistens ab auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus ne matrimonio assistat.

A U T

Can. 315. In errore communi de facto aut de iure, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, facultatem assistendi supplet Ecclesia.⁶

Can. 316 (CIC 1097). Assistens matrimonio illicite agit nisi:

1) a parocho vel ab Ordinario loci in quo matrimonium celebratur, licentiam eidem assistendi obtainuerit, quoties vi delegationis generalis agit;

2) constito sibi de libero statu contrahentium ad normam iuris.

Can. 317 (novus). Matrimonia celebrentur in paroecia ubi alterutra pars contrahentium habet domicilium vel quasi domicilium vel menstruam commorationem; alibi celebrari potest cum licentia parochi huius loci si adsit iusta causa. Matrimonium autem vagorum qui nec menstruam commorationem habent celebretur in paroecia ubi actu commorantur.

Can. 318 (CIC 1098). § 1. In mortis periculo si haberi nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam cann. 312-313, matrimonium valide et liceite contrahitur coram solis testibus.

§ 2. Extra mortis periculum, si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam cann. 312-313, matrimonium valide

⁶ Quaeritur quinam ex duobus propositis textibus can. 315 placeat.

et licite contrahitur coram solis testibus, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam.

§ 3. In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos vel diaconus qui adesse possit, vocari et una cum testibus, matrimonii celebrationi adesse debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.

Can. 319 (CIC 1099). § 1. Statuta superius forma servanda est, si saltem alterutra pars matrimonium contrahentium in Ecclesia catholica baptizata vel in eandem recepta est nec actu formaliter aut notorie ab ea defecerit, salvis praescriptis § 2.

§ 2. Si pars catholica, de qua in § 1, matrimonium contrahit cum parte non catholica ritus orientalis, forma canonica celebrationis servanda est tantum ad liceitatem; ad validitatem autem requiritur praesentia ministri sacri, servatis aliis de iure servandis.⁷

§ 3. Quoad matrimonium inter partem catholicam de qua in § 1, et partem non catholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, si graves difficultates formae canonicae servandae obstent, Ordinariis locorum ius est ab eadem in singulis casibus dispensandi, salva tamen aliqua publica forma celebrationis; Episcoporum autem Conferentiae est normas statuere quibus predicta dispensatio concordi ratione ac licite concedatur.⁸

Can. 320 (CIC 1100). § 1. Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris liturgicis, ab Ecclesia probatis, praescripti aut legitimis consuetudinibus recepti.

§ 2. Episcoporum Conferentiae facultatem habent, probante Sede Apostolica, exarandi ritum proprium matrimonii, congruentem locorum et populorum usibus ad spiritum christianum aptatis, firma tamen lege ut minister sacer assistens matrimonio praesens requirat manifestationem contrahentium consensus eamque recipiat.

Can. 321 (CIC 1103). § 1. Celebrato matrimonio, parochus loci celebrationis vel qui eius vices gerit, etsi neuter eidem astiterit, quamprimum adnotet in matrimoniorum regestis nomina coniugum, ministri assistantis ac testium, locum et diem celebrationis matrimonii iuxta modum a Conferentia Episcoporum praescriptum.

⁷ Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 18; S. Congr. Pro Ecclesiis Orientalibus, Decr. *Crescens matrimoniorum*, d. 22 februarii 1967.

⁸ Cfr. PAULUS PP. VI, Litterae Apost. Motu Proprio datae *Matrimonia mixta*, n. 9.

§ 2. Quoties matrimonium ad normam can. 318 contrahitur, minister sacer, si celebrationi adfuerit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus parochum aut Ordinarium loci de inito coniugio quamprimum certiorem reddere.

§ 3. Quoad matrimonium cum dispensatione a forma canonica contractum, Episcoporum Conferentiae normas edant, quibus modus communis ratione determinetur, quo de hoc matrimonio in regestis matrimoniorum et baptizatorum constet.

Can. 322 (novus). § 1. Matrimonium contractum adnotetur etiam in regestis baptizatorum in quibus baptismus coniugum descriptus est.

§ 2. Si coniux matrimonium contraxerit non in paroecia in qua baptizatus est, parochus loci celebrationis matrimonii notitiam initi coniugii ad parochum loci collati baptismi quamprimum transmittat; nec acquiescat donec peractae adnotationis notitiam receperit, quae processui praematrioniali adiungenda est.

Can. 323 (novus). Quoties matrimonium vel convalidatur pro foro externo, vel nullum declaratur, vel legitime praeterquam morte solvit, parochus loci celebrationis matrimonii certior fieri debet, ut adnotatione in regestis matrimoniorum et baptizatorum rite fiat.

CAPUT VII

DE MATRIMONIO SECRETO CELEBRANDO

Can. 324 (CIC 1104). Ex gravi et urgente causa loci Ordinarius permittere potest ut matrimonium secreto celebretur ad normam cann. 325-327.

Can. 325 (CIC 1105). Permissio matrimonii secreti secumfert:

- 1) omissionem publicationum matrimonialium ad normam can. 250 praescriptarum;
- 2) obligationem gravem secretum servandi ex parte Ordinarii loci, ministri assistentis, testium, et alterius coniugis altero non consente divulgationi.

Can. 326 (CIC 1106). Obligatio secretum servandi, de qua in can. 325, 2º, ex parte Ordinarii loci, cessat si grave scandalum aut

gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia im-
mineat.

Can. 327 (CIC 1107). Matrimonium secreto celebratum in pec-
uliari tantummodo regesto, servando in secreto Curiae archivio de quo
in can. 379 (Codicis I. C.), adnotetur.

CAPUT VIII DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS MATRIMONII

Can. 328 (CIC 1108). Matrimonium quolibet anni tempore con-
trahi potest, secundum probatos libros liturgicos.

Can. 329 (CIC 1109). § 1. Matrimonium inter catholicos vel
inter partem catholicam et partem non catholicam baptizatam celebretur
in ecclesia paroeciali; in alia ecclesia aut oratorio celebrari poterit de
licentia Ordinarii loci vel parochi.

§ 2. Matrimonium in aedibus privatis vel in alio convenienti loco
celebrari Ordinarius loci permittere potest.

§ 3. Matrimonium inter partem catholicam et partem non bapti-
zatam in ecclesia vel in alio convenienti loco celebrari poterit.

CAPUT IX DE MATRIMONII EFFECTIBUS

Can. 330 (CIC 1110). Ex valido matrimonio enascitur inter con-
iuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum; matrimonium chri-
stianum confert praeterea sacramentalem gratiam qua coniuges ad sui
status officia et dignitatem roborantur et veluti consecrantur.

Can. 331 (CIC 1111). Utrique coniugi aequum officium et ius
est ad ea quae ad consortium vitae coniugalis pertinent.

Can. 332 (CIC 1130). Parentes gravissimum et ius primarium
habent proles educationem tum physicam et socialem et culturalem, tum
moralem et religiosam pro viribus curandi, mediisque ad haec neces-
sariis providendi.

Can. 333 (CIC 1114). Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo.

Can. 334 (CIC 1115). § 1. Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidenter argumentis contrarium probetur.

§ 2. Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post dies 180 a die celebrati matrimonii, vel infra dies 300 a die dissolutae vitae coniugalnis.

Can. 335 (CIC 1116). Filii illegitimi legitimantur praeterquam per rescriptum Romani Pontificis, per subsequens matrimonium parentum sive validum sive putativum.

Can. 336 (CIC 1117). Filii legitimati, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit.

CAPUT X
DE SEPARATIONE CONIUGUM

Art. 1
DE DISSOLUTIONE VINCULI

Can. 337 (CIC 1118). Matrimonium ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.

Can. 338 (CIC 1119). Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam a Romano Pontifice dissolvi potest iusta ex causa, etsi alterutra pars sit invita.

Can. 339 (CIC 1120). § 1. Matrimonium, initum a duobus non baptizatis, solvitur ex privilegio paulino in favorem fidei partis, quae baptismum recepit, celebratione eiusdem partis novi matrimonii, dummodo altera pars non baptizata discedat, ad normam can. 339 § 2, 343 et 345.

§ 2. Discedere censemur altera pars si nolit pacifice cohabitare cum

parte baptizata sine contumelia Creatoris, nisi haec post baptismum receptum iustum illi dederit discedendi causam.

Can. 340 (CIC 1121). § 1. Salvo praescripto § 2, ut pars baptizata novum matrimonium contrahere valeat, pars non baptizata semper interpellari debet:

- 1) an velit et ipsa baptismum recipere;
- 2) an saltem velit cum parte baptizata pacifice cohabitare, sine contumelia Creatoris.

§ 2. Haec interpellatio post baptismum fieri debet; at loci Ordinarius, gravi de causa, permittere potest ut interpellatio ante baptismum fiat; idem, gravi pariter de causa, ab interpellatione dispensare potest, sive ante sive post baptismum, dummodo ex processu saltem summario et extrajudiciali constet eam fieri non posse aut fore inutilem.

Can. 341 (CIC 1122). § 1. Interpellatio fiat regulariter de auctoritate Ordinarii partis conversae, a quo Ordinario concedendae sunt alteri coniugi, siquidem eas petierit, induciae ad respondendum, eo tamen monito fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, eius silentium pro responsione negativa habeatur.

§ 2. Interpellatio etiam privatim facta ab ipsa parte conversa valet, imo est licita, si forma superius praescripta servari nequeat.

§ 3. In utroque casu de interpellatione facta deque eiusdem exitu in foro externo legitime constare debet.

Can. 342 (CIC 1123). Pars baptizata ius habet novas nuptias contrahendi:

- 1) si altera pars negative interpellationi responderit;
- 2) si interpellatio legitime omissa fuerit;
- 3) si pars non baptizata, sive iam interpellata sive non, prius perseverans in pacifica cohabitatione sine contumelia Creatoris, postea sine iusta causa discesserit, servatis cann. 340-341.

Can. 343 (CIC 1124). Etiam in casu usus privilegii paulini, Ordinarius loci, gravi tamen de causa, dispensare potest ab impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis praescriptis cann. 277-280 et 286.

Can. 344 (CIC 1125). § 1. Non baptizatus, qui plures uxores simul habuerit, ad fidem catholicam se convertens, si durum sit ei cum earum prima permanere, potest quamlibet ex illis, ceteris dimissis, retinere. Recepto autem baptismi, renovandus est consensus matrimonialis, obtenta etiam, si opus sit, dispensatione ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, servatis aliis de iure servandis. Si istae conditiones non verificantur, recurrendum est ad Sedem Apostolicam in singulis casibus.

§ 2. Ordinarius, praे oculis habita conditione morali, sociali, oeconomica locorum et personarum, curet ut primae uxoris aliarumque dissimilium necessitatibus satis pro visum sit, iuxta normas iustitiae, christiana caritatis et naturalis aequitatis.

Can. 345 (CIC 1127). In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris.

Can. 346 (novus). § 1. Matrimonium initum a partibus, quarum una saltem baptizata non fuit, a Romano Pontifice dissolvi potest in favorem fidei, dummodo matrimonium non fuerit consummatum postquam ambo coniuges baptizati fuerint.

§ 2. Ut huiusmodi matrimonii solutio in favorem fidei valide concedatur, requiritur:

- 1) ut alteruter coniux baptismate careat perdurante toto vitae coniugalis peractae tempore;
- 2) ut post baptismum forte susceptum a parte quae baptizata non erat, matrimonium non fuerit consummatum;
- 3) ut persona non baptizata vel baptizata extra Ecclesiam catholicam parti catholicae, quacum novum contrahitur matrimonium, libertatem facultatemque relinquat propriam religionem profitendi atque catholicę baptizandi educandique filios; quae conditio, cautionis forma, in tutto ponenda est.

Art. 2

DE SEPARATIONE MANENTE VINCULO

Can. 347 (CIC 1128). Coniuges habent officium et ius servandi communionem vitae coniugalis, nisi legitima causa eos excuset.

Can. 348 (CIC 1129). § 1. Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi vitae coniugalis communionem, nisi in adulterium consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque adulterium commiserit.

§ 2. Tacita condonatio habetur si coniux innocens, postquam de adulterio certior factus est, sponte cum altero coniuge maritali affectu conversatus fuerit; praesumitur vero si per sex menses vitae coniugalis communionem servaverit, neque recursum apud auctoritatem ecclesiasticam vel civilem fecerit.

§ 3. Si coniux innocens sponte vitae coniugalis communionem solverit, debet intra sex menses causam separationis deferre ad competentem auctoritatem, quae, omnibus consideratis circumstantiis, decernat utrum separatio legitime protrahi possit sive temporanea sive perpetua.

Can. 349 (CIC 1130). Potest laudabiliter coniux innocens alterum coniugem ad vitam coniugalem rursus admittere, quo in casu iuri separationis renuntiat.

Can. 350 (CIC 1131). § 1. Si alteruter coniugum vitam communem sive coniugi sive filiis periculosam vel nimis duram reddat, alteri legitimam praebet causam discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate; si periculum sit in mora.

§ 2. Episcoporum Conferentiae est causas separationis, pro moribus populorum et locorum circumstantiis, statuere.

§ 3. In omnibus casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est (nisi in decreto separationis aliter statutum sit).

Can. 351 (CIC 1132). Instituta separatione coniugum, opportune semper cavendum est de educatione filiorum catholica et civili.

CAPUT XI
DE MATRIMONII CONVALIDATIONE

Art. 1
DE CONVALIDATIONE SIMPLICI

Can. 352 (CIC 1133). § 1. Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut ccesset vel dispenseatur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscientia:

§ 2. Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem convalidationis, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit.

Can. 353 (CIC 1134). Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod renovans sciat aut opinetur ab initio nullum fuisse.

Can. 354 (CIC 1135). § 1. Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma canonica, salvo praescripto can. 319 § 3.

§ 2. Si impedimentum probari nequeat, satis est ut consensus renovetur privatim et secreto: et quidem a parte impedimenti conscientia, dummodo altera in consensu praestito perseveret, aut ab utraque parte, si impedimentum sit utriusque parti notum.

Can. 355 (CIC 1136). § 1. Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret.

§ 2. Si defectus consensus probari nequeat, satis est ut pars, quae non consenserat, privatim et secreto consensum praestet.

§ 3. Si defectus consensus probari possit, necesse est ut consensus forma canonica praestetur.

Can. 356 (CIC 1137). Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma, salvo praescripto can. 319 § 3.

Art. 2

DE SANATIONE IN RADICE

Can. 357 (CIC 1138). § 1. Matrimonii irriti sanatio in radice est eiusdem convalidatio, a competenti auctoritate concessa, secumferens dispensationem a lege de renovando consensu, de qua in can. 352-356, et dispensationem impedimenti, si adsit, necnon retrotractionem, circa effectus canonicos, ad praeteritum.

§ 2. Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero intelligitur facta ad momentum celebrationis matrimonii, nisi aliud expresse caveatur.

Can. 358 (novus). § 1. Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus.

§ 2. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus.

Can. 359 (novus). § 1. Matrimonium irritum ob impedimentum dirimens vel ob defectum legitimae formae sanari potest, dummodo consensus utriusque partis perseveret.

§ 2. Matrimonium irritum ob impedimentum iuris naturalis aut divini positivi sanari nequit nisi postquam impedimentum cessaverit.

Can. 360 (CIC 1139). Sanatio valide concedi potest etiam alterutra vel utraque parte inscia; ne autem concedatur nisi ob gravem causam et nisi probabile sit partes in vita coniugali velle perseverare.

Can. 361 (CIC 1140). § 1. Sanatio in radice concedi potest ab Apostolica Sede.

§ 2. Concedi quoque potest ab Episcopo dioecesano aliisque iure eidem aequiparatis, in singulis casibus, etiamsi plures nullitatis rationes in eodem matrimonii concurrent, impletis conditionibus de quibus in can. 277 pro sanatione matrimonii cui obstat impedimentum mixtae religionis vel disparitatis cultus; concedi autem ab iisdem nequit si adsit impedimentum cuius dispensatio Sedi Apostolicae reservatur ad normam can. 266 § 2, aut agatur de impedimento iuris naturalis aut divini positivi quod iam cessaverit.

INDEX

<i>Notificatio</i>	3
PRAENOTANDA	5
<i>Canones Generales</i>	6
Titulus I - DE BAPTISMO	6
Titulus II - DE CONFIRMATIONE	7
Titulus III - DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA	8
Caput I - <i>De eucharistica celebratione</i>	8
Caput II - <i>De Sanctissima Eucharistia asservanda et veneranda</i>	9
Caput III - <i>De oblata ad Missae celebrationem stipe</i>	9
Titulus IV - DE PAENITENTIA	10
Titulus V - DE UNCTIONE INFIRMORUM	11
Titulus VI - DE ORDINE	12
Titulus VII - DE MATRIMONIO	13
 SCHEMA DOCUMENTI PONTIFICII QUO DISCIPLINA CANONICA DE SACRAMENTIS	
RECOGNOSCITUR	16
<i>Canones Generales</i>	20
Titulus I - DE BAPTISMO	22
Caput I - <i>De Baptismi ministro</i>	22
Caput II - <i>De Baptismi subiecto</i>	23
Caput III - <i>De Baptismi ritibus et caeremoniis</i>	24
Caput IV - <i>De patrinis</i>	25
Caput V - <i>De tempore et loco Baptismi</i>	26
Caput VI - <i>De collati Baptismi probatione et adnotatione</i>	27
Titulus II - DE CONFIRMATIONE	28
Caput I - <i>De confirmationis ministro</i>	28
Caput II - <i>De confirmationis subiecto</i>	30
Caput III - <i>De tempore et loco confirmationis conferendae</i>	30
Caput IV - <i>De patrinis</i>	31
Caput V - <i>De collatae confirmationis adnotatione et probatione</i>	31
Titulus III - DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA	33
Caput I - <i>De eucharistica celebratione</i>	33
Art. 1 - <i>De Sanctissimae Eucharistiae ministro</i>	33

Art. 2 - De Sanctissimae Eucharistiae subiecto	35
Art. 3 - De ritibus et caeremoniis eucharisticae celebrationis	37
Art. 4 - De tempore et loco celebrationis Eucharistiae	39
Caput II - <i>De Sanctissima Eucharistia asservanda et veneranda</i>	40
Caput III - <i>De oblata ad Missae celebrationem stipe</i>	42
Titulus IV - DE PAENITENTIA	46
Caput I - <i>De absolutione sacramentali</i>	46
Caput II - <i>De sacramento paenitentiae ministro</i>	48
Caput III - <i>De sacramento paenitentiae subiecto</i>	52
Caput IV - <i>De indulgentiis</i>	52
Titulus V - DE UNCTIONE INFIRMORUM	56
Caput I - <i>De unctionis infirmorum ministro</i>	56
Caput II - <i>De unctionis infirmorum subiecto</i>	56
Caput III - <i>De ritibus et caeremoniis unctionis infirmorum</i>	57
Titulus VI - DE ORDINE	58
Caput I - <i>De sacrae ordinationis ministro</i>	58
Caput II - <i>De sacrae ordinationis subiecto</i>	61
Art. 1 - De requisitis in subiecto sacrae ordinationis	62
Art. 2 - De irregularitatibus aliisque impedimentis	65
Caput III - <i>De iis quae sacrae ordinationi praetire debent</i>	68
Caput IV - <i>De tempore et loco sacrae ordinationis</i>	70
Caput V - <i>De adnotatione ac testimonio peractae ordinationis</i>	70
Titulus VII - DE MATRIMONIO	72
Caput I - <i>De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent</i>	73
Caput II - <i>De impedimentis in genere</i>	75
Caput III - <i>De impedimentis prohibentibus</i>	78
Caput IV - <i>De impedimentis dirimentibus</i>	79
Caput V - <i>De consensu matrimoniali</i>	82
Caput VI - <i>De forma celebrationis matrimonii</i>	84
Caput VII - <i>De matrimonio secreto celebrando</i>	87
Caput VIII - <i>De tempore et loco celebrationis matrimonii</i>	88
Caput IX - <i>De matrimonii effectibus</i>	88
Caput X - <i>De separatione coniugum</i>	89
Art. 1 - De dissolutione vinculi	89
Art. 2 - De separatione manente vinculo	91
Caput XI - <i>De matrimonii convalidatione</i>	93
Art. 1 - De convalidatione simplici	93
Art. 2 - De sanatione in radice	94